

**Adversariorum libri quatuor. Accedunt ejusdem viginti breves  
consultationes medicae / [Giuseppe Lanzoni].**

**Contributors**

Lanzoni, Giuseppe, 1663-1730.

**Publication/Creation**

Ferrariae : Apud haeredes Bernardini Pomatelli, 1714.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dys33ych>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





62723/3

R. R.  
m  
26

The Library of the  
Wellcome Institute for  
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY  
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

LANZONI, G.

PC6

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library



S6



JOSEPHI  
LANZONI

FERRARIENSIS,

Philosophi, ac Medici, & S.R.I. Academię  
Naturę Curiosorum Collegę, &c.

ADVERSARIORUM  
*LIBRI QUATUOR.*

ACCEDUNT

*EFVSDM VIGINTI BREVES*

CONSULTATIONES  
MEDICÆ.



FERRARIÆ, M.DCCXIV.

---

Apud Hæredes Bernardini Pomatelli Impr. Episc.  
*SUPERIORUM PERMISSU.*



SOCIETY OF LONDON MEDICAL

*LECTIO VARIA DELECTAT.*

L. An. Seneca ad Lucilium Epist. 45.



HIERONYMI BARUFFALDI  
PH: DOCT. FERRARIENSIS  
IN LIBROS  
ADVERSARIORUM  
JOSEPHI LANZONI M. D.

P R Æ F A T I O.



*U*periori proximo anno ,  
*cùm Dissertationi meæ*  
*de PRÆFICIS ,*  
*tunc excudendæ , aliquid*  
*prò mantissa superadde-*  
*re statuissem , illudquè*  
*nusquàm promptiùs sperarem , quàm*  
*penès quempiam Bonarum Litterarum*  
*Cultorem adinvenire , diù mente scruta-*  
*tus sum quotquot ex meis clarissimis*  
*Concivibus animum ad amœniora stu-*  
*dia*



*dia quandoque converterent , illudquè ,  
quod ipse quæsieram præstarent . Et sa-  
nè , licèt non pauci adeò hujus indagi-  
nis sectatores hic feliciter degant ( sem-  
per enim bonarum Artium , optimorum-  
que studiorum ratio Ferrariæ viguit )  
attamen quamplures adeò religiosè ,  
quin immò scrupulosè suimet Instituti no-  
men custodientes nactus sum , ut licèt de  
Poeticis , de Oratoriis , deque Histori-  
cis , Philologicisque Libris intrinsecus  
benè sentiant ; nihilominus populi im-  
periti contumeliam veriti , vel sumptu  
nimio perterriti , tùm ab optimorum Li-  
brorum acquisitione , tùm ab Erudito-  
rum hominum consortio abstinent , Lit-  
terati Viri nomen sibi dedecori tribuen-  
tes , occupationemque pessimam hujus-  
modi studia nuncupantes . Verùm rem  
propiùs conspiciens , nonnullos imperter-  
riti Animi , bonæque frugis Viros , in-*



genio , & rerum usu præstantes , mibi  
jam indè ab adolescentia notos adivi ,  
qui inertis Populi inscitiam deridentes ,  
pretiosiora Scriptorum cujuscumquè gene-  
ris Volumina coacervare sunt ausi , illa ,  
nocturnà , & diurnà manu versare ,  
& ex illis , ceu Apes è floribus , ra-  
riora documenta deliberare , electa ver-  
ba , graviores sententias , mores , ri-  
tus , atquè alia è remotioribus antiqui-  
tatis latebris eruere , atquè animum  
non minùs , quàm pagellas erudire , nec  
senectuti ærumnosè , & querebundæ id  
tantùm seponere , sed dùm virens , ac  
operosa mens fervet , è penu depromere  
conati sunt . Atquè hinc in dies , cujuf-  
cumquè generis Dissertationes , Diatri-  
bas , Exercitationes , Animadversiones-  
què prælo committere . Quos intèr haud  
sane falli queam , si Clariss. nostrum  
**JOSEPHUM LANZONUM** tot



evulgatis Voluminibus celeberrimum  
enumerare decernam . Cùm enim Bi-  
bliothecam rarioribus Libris instructam  
Amicis ( & mihi sanè , qui prima us-  
què ab ætate ejus contubernio , maximo  
studiorum meorum proventu , adscriptus  
sum ) uberrimè , & magnanimiter ,  
in dies recludat , ea omnia , quæ ad  
cujuscumquè studii naturam maximè  
convenient haud difficile exaurire da-  
tum est . Ità mihi sanè accidit : cùm  
enim penè infinita ex optimis scriptori-  
bus adnotata in Opistographis , seu  
Adversariis suis repererim , non diù  
laborandum duxi , ad unicum illud ca-  
put secernendum , ubi de Luctu mor-  
tuali veterum , multiplici Auctorum  
celebriorum testimonio , sermo habe ba-  
tur : illudquè in calce Dissertationis  
meæ adnectere citò decrevi tamquàm  
operi valdè concinnum . Verùm tanta  
erat



erat aliarum rerum messis , ut insuper  
alias quam plures pagellas capitibus  
distinctas mecum transtuli . Quæ tunc  
pro usu meo fuerant carpsi , quæ verò  
ad rem nihil facere judicavi , reposui ,  
donec collectorem suum adiens : Heùs ,  
inqui ; annè te pudet , Amice , talia ,  
ac tanta eruditionis monumenta colle-  
gisse , ut ea barbarè vel viva sepelias ?  
Heù nimium , quot clarissimorum Vi-  
rorum marcescunt jàm tineis corrosa  
scripta ! Unicè tui celeberrimi Ma-  
gnanini subeat memoria , quot deper-  
dita , quot oblitterata , quot consum-  
pta monumenta tanti Viri desiderantur ,  
quæ si palàm prodita fuissent , certè opti-  
mè de illo mererentur . Eia igitur , vi-  
ve , atquè ità , ut quidquid indè sub-  
trahere potes , in communem utilitatem  
conferas ; necessarium est enim ( Ma-  
nardi nostri undequaquè eximii totiès a



te repetitam sententiam tibi met exprobro)  
necessarium est enim Libros non so-  
lum cudere, sed etiam in lucem ede-  
re, cum paria sint nihil scribere,  
vel quæ scripseris domi premere.  
( *Manard. ep. 1. l. 1.* ). Precibus ob-  
strictus Amicus indulgit: hoc unum tan-  
tùm subdens, ut facultatis Medicæ,  
quam ipse optimè callet, nonnullas bre-  
ves Consultationes unà cum Adversa-  
riis consuerem, nè a Medicina, quam  
ennixè, & unicè, tanta laude, profite-  
tur, abdicatus censeretur. Itaque rem  
consultò perpendens, **ADVERSA-**  
**RIA** in lucem edere paravi, ac si-  
mùl Consultationes Medicas, prout di-  
versis in curationibus natæ erant: om-  
nia vel variis celebratisquè hujus sæculi  
Viris, vel Auctoris Amicis inscripta,  
quorum grati animi obsequium ergà Au-  
ctorem, non modò tantùm, nec unicè,  
sed



*sed jam , & diù experiri datum est .*

*Atque ità Auctori rem tali metho-  
do distributam arridere duxi , contradi-  
centium enim linguas retundere conatus  
sum adeò ut , qui Medicæ disciplinæ seu  
Arti unicè inserviunt , qui unicè Philo-  
logiæ , quique demùm unà simul ambo-  
bus facultatibus oblectantur , palatum  
exsatiandi quoquomodo opportunitatem  
habeant : Ciborum varietates vel in  
mensa jucundissimè recipiuntur , ità &  
ab ingeniis non semper in uno voto mo-  
randum est . Quæ igitur hic adnotata ,  
humanissime Lector , intueris , læto ani-  
mo suscipias velim , & licèt verissimum  
sit , debere nos partus eos , quos gigni-  
mus , optare nasci quàm perfectissimos ,  
attamen non semper vires æquant id  
quod desiderio concipimus , & humana  
imbecillitas nimium à perfectione distat ,  
cùm solus Deus perfectissimus in cunctis*

*ope-*



operibus emineat . Quare si nonnulla in  
hac ipsa editione menda irrepserint , hoc  
velim caveas , nè inscitiae tribuas , mul-  
ti enim sunt qui , vel invitis Patribus ,  
Filiis a paternis semitis sepe sepius decli-  
nant . Si hæc libenti animo accipies ,  
quo nil mihi carius , jucundiusque acci-  
dere poterit , imposterum quoque in eo  
judicio ut perseveres vehementerhorta-  
bor . Vale .



# INDEX

*Librorum, & Capitulorum.*

## LIBER PRIMUS.

CAP. I.	De Barba.	Pag.	1
CAP. II.	De Cincinnis &c.		6
CAP. III.	De Ocularibus.		10
CAP. IV.	De Jejuniis Veterum.		15
CAP. V.	De ridiculis Amoris.		18
CAP. VI.	De his, qui semel in die cibum sumunt.		21
CAP. VII.	De Rabulis forensibus.		24
CAP. VIII.	De Sobrietate, & Gulla.		28
CAP. IX.	De Serapide.		32
CAP. X.	De Carne Suilla.		36

## LIBER SECUNDUS.

CAP. I.	De Mensibus.	Pag.	41
CAP. II.	De Poculis antiquorum.		49
CAP. III.	De Albo, & Nigro.		52
	CAP.		



<b>CAP. IV.</b>	<b>De termino convivii, &amp; mensis cedrinis.</b>	<b>60</b>
<b>CAP. V.</b>	<b>De Tragedia.</b>	<b>64</b>
<b>CAP. VI.</b>	<b>De Genio, &amp; Laribus.</b>	<b>75</b>
<b>CAP. VII.</b>	<b>De Strenis.</b>	<b>79</b>
<b>CAP. VIII.</b>	<b>De Lucernis ad Fenestras.</b>	<b>81</b>
<b>CAP. IX.</b>	<b>De Fibulis.</b>	<b>84</b>
<b>CAP. X.</b>	<b>De Analectis, &amp; Licto- ribus.</b>	<b>88</b>

## LIBER TERTIUS.

<b>CAP. I.</b>	<b>De Juramentis.</b>	<b>Pag. 90</b>
<b>CAP. II.</b>	<b>De Tabaco.</b>	<b>98</b>
<b>CAP. III.</b>	<b>De Esu Locustarum</b>	<b>104</b>
<b>CAP. IV.</b>	<b>De Horis.</b>	<b>107</b>
<b>CAP. V.</b>	<b>De Lacte in Viris.</b>	<b>112</b>
<b>CAP. VI.</b>	<b>De Vinculis diversis.</b>	<b>114</b>
<b>CAP. VII.</b>	<b>De Militum pœnis.</b>	<b>116</b>
<b>CAP. VIII.</b>	<b>De tondendi ritu apud veteres.</b>	<b>119</b>
<b>CAP. IX.</b>	<b>De Nudipedalibus, &amp; Furca.</b>	<b>121</b>
<b>CAP. X.</b>	<b>De Ufu Salis.</b>	<b>123</b>



## LIBER QUARTUS.

CAP. I.	De Academiis.	Pag. 127
CAP. II.	De Pudicitia	131
CAP. III.	De Verbena.	134
CAP. IV.	De Diebus.	137
CAP. V.	De Cameleonte.	140
CAP. VI.	De Consecratione Imperatoris.	143
CAP. VII.	De Naturæ Portentis.	145
CAP. VIII.	De Inventoribus Rerum.	146
CAP. IX.	De iisdem.	150
CAP. X.	De Rosa.	153



# INDEX

## CONSULTATIONUM.

I.	De Apoplexia.	Pag. 163
II.	De Paralyfi.	166
III.	De Vertigine.	170
IV.	De Cephalagia.	175
V.	De Tussi contumaci.	180
VI.	De Astmate.	185
VII.	De Melancolia hypochondr.	190
VIII.	De Sputo sanguinis.	195
IX.	De Pleuritide	199
X.	De Cordis Palpitatione.	204
XI.	De Mania.	208
XII.	De Nausea, & Vomitu.	213
XIII.	De Cardialgia.	216
XIV.	De Syngultu.	220
XV.	De Lienis Obstructione.	224
XVI.	De Diarrhœa.	227
XVII.	De Dyssenteria.	231
XVIII.	De Dolore Iliaco.	237
XIX.	De Febre Maligna.	241
XX.	De Febre Hectica.	246

Die



Die 10. Januarij 1714.

*D. Marchio Antonius Trottus Revisor Librorum S. Offi-  
cij Videat, & referat.*

Fr. Jo: Baptista Giampè Inq. &c.

Die 24. Januarij 1714.

Non finè maximo animi oblectamento, Librum inscri-  
ptum: *Adversariorum &c.* à clarissimo Viro Josepho  
Lanzono Philosopho, & Medico Ferrariensi erudi-  
tè, & doctè exaratum, de mandato Reverendissimi  
Patris Inquisitoris S. Officij Ferrariæ diligenter per-  
legi; nihilq; in eo offendi, cui Catholica Religio,  
morumque probitas adversetur: immò, ex tanta re-  
rum varietate, tum Medicinæ, tum Philosophiæ  
quàm plurima arcana illustrari, ac resurgere anim-  
adverti, quæ vel prius abscondita, vel non in unum  
collecta servabantur. In Medicæ igitur simul, ac  
eruditæ litterariæ Reipublicæ usum, ac utilitatem  
Opus hoc dignissimum censeo, ut in lucem prodeat.

*Ego Antonius Trottus Revisor.*

Die 5. Februarij 1714.

*Attenta suprascripta Attestatione.*

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Arnaldi, Ordinis Prædi-  
catorum, Vicarius S. Officij Ferrariæ.

Hac



Hac die 5. Februarij 1714.

*Adm. R. P. Hortensius Palearolus Soc. Jesu Theologus  
videat, & referat.*

Matthæus Celli Vic. Gen. &c.

De Mandato Eminentissimi, & Reverendissimi Cardinalis de Verme Episcopi Ferrariensis, attentè legi  
Librum, cui Titulus: *Adversariorum Libri Quatuor, cum  
Viginti Consultationibus Medicis, Auctore Iosepho  
Lanzono Philosopho, ac Medico Ferrariense, & S.R.I.  
Academiæ Naturæ Curiosorum Collega, & dignum  
laude, ac typis mandandum judico, in communem  
legentium utilitatem, ac delectationem, quam ex  
doctrina, & rerum varietate haurient Lectores; ideò-  
que, cum nihil invenerim contrà Fidem, & Bonos  
Mores, aut in Populo inductivum rixarum, judico  
typis imprimendum, si tamèn videbitur Superioribus.*

*Ego P. Hortensius Palearolus Soc. Jesu affirmo.*

Hac die 10. Februarij 1714.

*Attenta suprascripta Relatione.*

IMPRIMATUR.

Matthæus Celli Vicarius Generalis Epi-  
scopalis.



I  
ADVERSARIORUM  
JOSEPHI LANZONI  
LIBER PRIMUS.

AD ILLUSTRISSIMUM  
D. ANTONIUM  
VALLISNERIUM

*Primarium Theoricæ Medicinæ Professore*  
*in Patavina Universitate, &c.*

---

CAPUT I.

*De Barba.*



Arbæ dignitas primò à sacris literis deducitur, sic in Levitico cap. 19. habetur *nec radetis barbam*: tondere autem non erat vetitum Judeis, sed radere: voluit enim Deus, fugerente Corn. à Lapide, in populo suo barbam, quasi esset virilitas.

A

tis



tis insigne, barba enim Virum significat; unde fallitur Mart Polonus in Chronico, qui Pontificem Anicetum barbam æquè, ac comam Clericis vetuisse scribit, in decretis enim Aniceti nulla barbæ fit mentio; hinc illa sanctio Concil. Cartag. can. 44. ait, *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat*; & Sidonius Apollin. lib. 4. Epist. 24. quendam Sacerdotem celebrando ait, *habitus verò, gradus, pudor, color, sermo religiosus, tum coma brevis, barba prolixa, &c.* S. Hylarius sup. psalm. 133. scripsit, *Barba virilis ætatis ornatus est.* Auctores autem Græci, & Romani barbam semper in magno pretio habuere, unde Æsculapium Medicorum Patronum maxime barbatum pinxerunt; Diogenes viro imberbi & molli, à quo de quæstione aliqua confulebatur, respondit: *nihil tibi ad propositam quæstionem respondebo, nisi primum vestem deponas, & ostendas, num vir sis, vel mulier*; Lucianus, tam turpe esse ornatum barbæ viris auferre, ait, quàm si leoni iubas attondere aggrediatur; Quanto porò cultu veteres Romani barbam profecu-



secuti sint, vel inde liquet, quod ll. xii. tabul. cautum sit, ne mulieres novacula mentum raderent, scilicet vetiti, ne barba viris propria in genis sequioris sexus vilesceret; Jovem quoque Deorum Principem, teste Plinio, honoris causa non nisi barbatum finxerunt; sic alicui barbam vellere summa putabatur injuria, unde Horatius Satir. 3. lib. 1. canit

..... vellunt tibi barbam

Lascivi pueri .....

Ovidius de honore barbæ sic cecinit in Metamor. lib. 3.

..... ovibus sua lana decori est,

Barba viros, birtq; decent in corpore feræ.  
ob honorem barbam tangebant antiqui,  
codemque modò supplicabant, sic Nonnius Dyonyfiac. 6.

Sinistra quidem manu genua tetigit, & orans

Dextra tetigit bene crinitam barbam.

Quin Andromache, apud Euripidem, Peleos pedibus advoluta, oro te, inquit illa, ante tua cadens genua nam manu non licet mibi tuam præbendere honorabilem barbam, libera me per Deos, &c.



Otho Augustus, referente Balthas. Bonifacio in hist. ludic. lib. 12., barbam ipse suam venerabatur, & per eam iuramenta concipiebat; & apud Homerum, barbatos legimus fuisse Priamum, Agamemnonem, Menelaum, Nestorem, Ulysssem, Achillem, Ectorem, & alios Principes; Hinc Musarum Decus Anacreon amabat, barbam prætioso unguento habere imbutam, cecinit enim

*Sed curo delibutam*

*Unguento habere barbam.*  
qualis fuit illa Aaronis suæ consecrationis tempore, scribitur enim in Psalm. 132. *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Tantaquæ barbæ estimatio erat apud veteres Græcos, referente Junio apud Laurentium in Polymat. lib. 5., ut piaculum esset, legeque cautum barbam radere, & apud Romanos, si Svetonio credimus, barbam, & crines vovebant Phæbo, undè Lipsius ait, Deo sacram fuisse barbam, & Virginum, & Puerorum comam; notandum verò, Spartanos in superiori labro non aluif.



aluisse barbam, quemadmodum docet Ca-  
faubon: ad Atheneum lib. 4. Sapientiæ ac  
perfectiōnis nostrę signum esse barbam ait  
Hesychius, unde Christus Dominus no-  
ster barbam assiduè gestasse fertur, hinc  
Ludolphus de Saxonia Jesum ita depinxit.  
*Nasi prorsus, & oris nulla fuit reprebensio,  
barbam habens copiosam, & impubem, capil-  
lis concolorem, non longam, sed in mento bi-  
furcatam;* Sic Nicephorus, Salvatorem  
nostrum barbam aluisse, & quidem ad co-  
lorem nucis castaneę similem scribit; Cum  
ergo gestare barbam apud Hæbreos, Grę-  
cos, & Romanos fuisset summi decoris,  
ita familiare erat Græcis, ac Latinis, ut  
quibus illudere volebant, barbam illis vel-  
lerent, undè Poeta

*stolidam prebet tibi vellere barbam*

*Petulans nonaria* .....

Ita per contumeliam, Judæos Barbam vel-  
lebant Christo Domino in actu suæ San-  
ctissimæ Passiōis, ut monet Masinus in  
Vita Christi Redemptoris nostri cap. 23.

Apud Gręcos usitata fuit olim pœna stu-  
pri, barbas publicè hujus flagitii convictis



præcidi, atque ità illos, ut infames dimittere; Immò tanti faciunt Turcæ barbam, ut per ipsam jurent, tanquàm per rem sacram.

In Gallia, si Masino fides habenda, reperitur S. Petri Apostoli Barba, ex cujus tactu, multos infirmos salutis restitutos fuisse ait cit. Masinus.

De Sacerdotum barbis, vid. Pierius Valerianus.

## C A P U T II.

### *De Cirris, sive Cincinnis.*

**S**icambri Populi ad Oceanum in Germania fuerunt, qui flavos habebant capillos, quos, ubi fatis crevere, quodam artificio in nodum complicabant, undè Martialis canit

*Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.*

super quem locum Domitius ait, has gentes colorare crines, ac calamistrare Romanos impulerunt, oblectatos capillorum pulcritudine, quæ Sicambri erat nativa.

De



De Galeatio II. Vicecomite narrat Jovius, comam habente aurej coloris, quàm ille complicabat in tricas, & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expansam gerebat. Verùm cirros propriè ad ornatum fœminarum spectasse colligitur ab Autoribus tùm Græcis, tùm Romanis.

Æschylus habet

*Cincinnus est comæ velut virgini.*

Genæ enim, & oculi eminent in corpore, & à cincinnis umbrati vetustiores elucet, sic Tuccius supèr Cantic. scribit: *Oculi tui Columbæ intrà cincinnos tuos, genæ tuæ sicut frustum mali punici, intrà cincinnos tuos.*

Apud sacràs paginas Juditta lugubrem vestem in lacteam, fulgentemque mutavit, capillumque composuit, & colligavit cincinnos suos mitra, ut compta, & ornata formosior appareret, atque Holofernem amore inflammaret, cincinni enim magni ornatus sunt pulchritudini Fœminarum, & rapiunt oculos intuentium, undè à Poetis comparantur fulguri, & dicuntur fulgurare; sic Virgilius crinem flagrantem nuncupat; mulieres autem decorem suum po-



nunt in ornandis capillis, polliendis, & fucandis, undè Catullus cecinit

*Splendidas quatiunt comas,*  
& calamistro componunt; sic Virgilius in Æneid ait

*Vibrati calido crines ferro.*

Pectunt, & acu discriminati discernunt, ut pulcherrimi appareant, ut patet in Sponsis, quarum elegantia in polito crine, & bellè discriminato consistit; hinc Festus, Crines inquit à discretionem dicti sunt; Cyprio, ac odorato pulvere inspergunt Tincinnos ad maiorem elegantiam, atque unguentis odoratissimis perungunt, quem usum antiquum fuisse ostendunt Poetæ; sic Horatius 3. carm.

*Sparsum odoratis humerum capillis.*

Ovidius in Epist. 21

*Non arabo noster rore capillus olet.*

Tibullus lib. 3.

*Spirabat tyrio mirrbea rore coma.*

& Silius lib. 11.

*... Crinem perfundit amomo.*

Dixi superius in Sponsis capillorum elegantiam, atque cirros præstare, comam enim

solu-



solutam , & liberam virginibus olim convenisse legitur apud Car: Pascal. de Coron. lib. 2. , coma enim coacta , & coronata erat argumentum instantis lætitiæ conjugalis , undè Claudianus cecinit

..... libertatemque comarum

*Iniecta voluit tandem frenare corona.*

idest à virginitate cupiit transire ad vota conjugalia ; Sponsæ quippe pulchriores apparent , dùm cincinnos in fronte gerunt , sic canit Chiabrera

*Del mio Sol son ricciutelli*

*I capelli,*

*Non biondetti, ma brunetti.*

Ad eformandos autem cirros utebantur foeminae , ut etiam hodiè utuntur , calamistro , quod calefactum in ignito cinere capillos ornat , si fides sit danda Grammaticis , undè Cicero in orat. post reditum ait , *Frons calamistri notata vestigiis* . Cincinnones verò apud Veteres dicebantur illi , quibus officium calamistrorum erat , idest veruum in cinere calefaciendorum , quibus Matronæ capillos crispabant , notante Dempstero ad Rosinum lib. 5. , cujus rei ,  
& Vir-



& Virgilius meminit, canendo

*Fedare in pulvere crines.*

*Vibratos calido ferro* .....

dicti autem sunt Ciniflones, ab eò, quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum, sicuti cinasmus dicitur Acus, quà mulieres caput exornant; Quod viris fuit valdè probrosum apud Martialem: Clariùs verò S. Ambrosius ait: *Mulieribus ornamento est coma, dedecori est viris.* Denique Apostolus Paulus evidentius hoc expressit, dicens Epist. ad Corint. cap. 11. *nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat ignominia est illi: Mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli prò velamine ei dati sunt;* quem Pauli locum D. Jo: Chrysostomus diligenter expendit; Et hic est notandum, P. Martinum de Roa lib. 3. singular. cap. 15. vocare cincinnos in hominum fronte, veluti titulos meretricum, aut venalitorum, qui prostitutum, & venalem ad libidinem significant; Discant ergo, ac caveant nostris hisce temporibus Viri, qui propria deposita coma, caliendro, hoc est ficto capilla-



lamento multis cincinnis condecorato cy-  
prio insperfo pulvere utuntur, sic peiùs  
quàm fœminæ compti aparent, & virili  
gravitate seposita, cinædorum faciem ef-  
fingunt, ac post sexagesimum ætatis an-  
num, adolescentiæ vultum affectant: Sint  
Mulierum ornatus Cincinni, sint Puello-  
rum, ac Puellarum Cirri; Virorum au-  
tem ornamentum sit Prudentia, sit Vir-  
tus; ne fortassis masculorum exemplo, Fe-  
minæ majora semper in dies quærant pul-  
chritudinis lænocinia, quomodò enim ma-  
res muliebri licentiæ, ac lascivæ libertati  
finem imponent, si, & ipsi crispato crine  
ornantur, fictam, atque lascivam comam,  
emptam pretio deportant, ac pulvere odo-  
rato insperfo, vel potius fœdato capitis ca-  
pillamento, ad cincinnos, & cirros quo-  
tidiè mulieres invitant? hæc verò de cin-  
cinnis sint satis.



## CAPUT III.

*An veteres ocularia babuerint?*

**M**agnus ille Philosophus Franciscus Redi putavit, antiquos Hebræos, Grecos, Latinos, ac Arabes ocularibus caruisse, quia apud eos nulla de eis fit mentio; & licet aliqui conentur ostendere, autoritate Plauti, ocularia tempore hujus Poetæ in usu fuisse, ex eo quod in duobus locis de his mentionem faciat; loci autem sunt isti

*dum redeo Domum*

*Conspicillo consecutus est clanculum me, usq;  
ad fores.*

**Et**

*Vitrum cedo, necesse est conspicillo uti.*

sicque, cum per vocem *conspicilli* Rob. Stephanus in Thesaur. ling. latin. intelligat instrumentum, quod adhibetur oculis, ut res majores videantur, hinc est, dicunt illi, quod ocularia antiquitus in usu fuissent; sicq; esse aliquos, ait Cel. Rhodiginus  
antiq;



antiqui; lect: lib. 15 cap. 13. , qui conspici-  
la veterum referunt in ea instrumenta ,  
quæ inserta naribus visum mirè adiuvant;  
Quos Varro facile retundit apud , quem  
ita legimus . *Hinc quò oculos jungimus , qui-  
bus specimus , specillum .* Sunt qui conspici-  
lorum artifices specularios rectè dici opi-  
nantur , ac qui fenestris specularia prætē-  
dunt frigoris defendendi causa , de quibus  
meminit Jurisconsultus Ulpianus ; Sicque  
ego quoque cum Redio , ac Mercuriali ocu-  
laria novæ esse inventionis assero , nam si  
tale instrumentum antiquis innotuisset ,  
Medici in curandis visus debilitatibus de  
tanto remedio mentionem fecissent ; est &  
Nonnij testimonium , qui conspicillum ap-  
pellatum docet locum , undè aliquid clancu-  
lum conspici posset , quem fieri consuevis-  
se ait vitro obductum , per quod videre , &  
non videri liceret , ut nunc in fenestris fre-  
quenter fit , atque in hunc modum intel-  
ligendus est Plautus in locis suprà exposi-  
tis ; clarè enim , ac breviter hanc litem  
dirimit Jos. Laurentius in Amalthea onom.  
dicendo . ConsPICILLUM , sive ConsPICILIUM  
duo



duo posse significare, nempe locum, undè clam conspici potest, ut vulgò *balestriera*, *Veletta*; & ocularia hodiè *occbiali*: non potest tamèn negari, ocularia antiqua esse; Reditus enim circa annum Redemptionis nostræ 1300. inventa fuisse ait, ut patet ex Chronica Conventus Fratris Bartholomæi à S. Concordio Concionatoris, in qua sic legitur. *Fr. Alexander de Spina vir modestus, & bonus, quæcumque vidit facta sciavit & facere; ocularia ab aliquo primo facta, & communicare nolente; ipse fecit, & communicavit, &c.* Immò in quodam manuscripto Anni 1299 ait citat. Reditus, mentionem fieri de ocularibus, ut videre est in sua erudita Epistola circa inventionem eorum, Florentiæ typis data anno 1690.

Gordonius, & Guido Cauliacus autores nostræ Medicinæ antiqui, ubi tractant de Visus debilitate mentionem fecere de conspiciillis, seu ocularibus, de quibus nunc sermo habetur; ex quò aparet, horum inventionem fuisse Anno 1305 De his plura apud Franciscum Reditum, & Mercurialem.



## CAPUT IV.

*De Jejunio veterum Romanorum, &c.*

**E**X Svetonio in Aug. cap. 76. habentur hæc verba : *ne Judæus quidem , tam diligenter Sabbatis jejunium servat ;* certum autem est Judæos jejunium habuisse , ut colligitur ex sacris paginis . Romanos quoque aliquando jejunasse puto , nam Suidas refert Severum Imperatorem , quolibet mense die integro nil cibi admisisse , an verò hoc ob religionem esset , an ob valetudinem , nescio ; Livius in hist. ait , Decemviros renuntiavisse jejunium institutum Cereri , & id quinto quoque anno servandum ; Undè Oracula consulturos ait Laurentius in Polymat. lib. 2. Romanos jejunia indixisse , ut habetur ex Tertulliano de anima , & de Jejuniis.

Hinc Thesmophoria festa apud Athenienses , teste Plutarco , illa erant , in quibus Mulieres à cibis abstinebant , humique jacebant ; de quibus meminit Plautus sub



nomine feriarum esurialium; Sacerdotibus etiam responsum daturis, aut accepturis die jejunandum fuisse, & triduo à vino abstinendum ait Jos Laurentius cit. loco. Horatius innuit fuisse quædam Jejunia instituta ob honorem Jovis; & apud eundem Poetam Mater pro salute filii quartana laborantis præcatur Jovem his carminibus

*Frigida si puerum quartana reliquerit, illo  
Nempè die, quò tu indicis jejunia, nudus  
In tiberi stabit .....*

Numam Pompilium, ferunt Historiæ, cum pro frugibus vota faceret, ab usu carniæ, & veneris abstinuisse, ad cujusdam Jejunii morem.

Apuleius lib. 2. tradit, illos, qui volebant sacris Isidis, & Cybelis initiari, spatio 10. dierum jejunavisse, quæ abstinencia peracta phasianis, ac delicatis carnibus vescabantur; Nestea celebritas apud Græcos illa erat, teste Æliano in Var. hist. in qua jejunium servabatur; Gymnosophistæ jejunium fervantes solum oriza, & farinaalebantur; Ægyptij Sacerdotes carnibus, & vino abstinebant, asserente Laurentio sicuti fecit.



fecisse etiàm fertur Indorum Magos ad Solis Sacerdotium evectos . In Creta ex Euripide apud Maiolum , Jovis Vates non modò carnes , sed etiàm cibos coctos non edebant . Lacedemones uno die se , & Servos , & Animalia jejunare decrevere & mulieres , dùm sacra Cereris celebrarentur , jejunium , quod Castum Cereris vocabatur , humi sedentes agebant , in quo pane vesci nefas erat . Misorum quidam religionis causa , à carnibus abstinebant , lacte , melle , caseo contenti , ut notat Strabo lib. 7. Mense Romadàm toto , in quò Alcoranum celitùs datum nugatur Mahometus , imperatur jejunium omnibus Turcis , præter infirmos , & viatores ; sic die tota jejunant , nocte verò comedunt , & bibunt ; Ægroti autem suum jejunium eleemosynis persolvunt . Cùm antiquitàs Tarentini à Romanis obsiderentur , periculumque esset , ne fame ad deditionem compellerentur ; Rhegini decimo semper die jejunium decernentes , victum concesserunt Tarentinis ; Proinde cùm decedentibus Romanis , liberarentur , calamitatis



memores Tarentini , festum constituere , quod *Jejunium* appellabant .

De Leonardo Pistoriensi , refert Cardanus de subtil. , qui sensim eo se traduxit , ut semper jejunaret , ac semel tantum in hebdomada cibum assumeret .

## C A P U T V.

### *De ridiculis , & absurdis Amoribus .*

**X** Ersem summopere vituperat Georg. Pictorius in lib. 4. suę Philologię , eo quod Platani amore graviter capiebatur ; & de quodam adolescente Atheniensi refert , qui Statuam Fortune ad Pritaneum stantem deperibat , & sæpè in complexus ejus se insinuans , æstroque percitus proptèr cupiditatem in Senatum venit enixè rogans , ut sibi eam liceret emere ; at cum nihil efferet renuente Senatu , Imagine priùs coronata , atque oblato sacrificio , profusis lacrymis , mortem sibi ipsi conscivit . De Adolescentula annor. 17. ob nimium amorem maniaca , memini ego in Miscel. A. N. C.



N. C. Decur. 2. an. 10., obser. 126. æditionis Norimbergen. pag. 219. Periander, juxtà Herodotum, tantùm in amore insanivit, ut cum Melissa Meretrice mortua jacuerit; Semiramidem, teste Cælio Rodig. ob amorem Tauri redactam ad furorem fuisse ajunt; Et Volaterranus, narrat Cratem pastorem amavisse Capram; Plutarcus de Aristone Efesio scribit, qui Asinam amore prosequabatur, & Fulvj Romani meminit, qui amatorio furore percitus filium ab Equa habuit, quàm vocavit Hipponam; De Galeatio quodam Mantuano, ait Matth. Palma in Anat. Amor., qui tanto amore correptus est ergà Adolescentulam, ut cum ista per jocum ei dixerit *vade ad Flumen*, ò *stulte*. Ille hoc audito statim se misere in Ticinum flumen projecit; Hercules ob amorem Omphalis Reginae Lidiorum ità insanivit, ut Clava in Colum mutata neret; undè Propertius cecinit

*Idem ego sidonia feci servilia palla*

*Officia, & lyda pensa diurna colo*

*Mollis, & birsutum cepit mibi fascia pectus,*



*Et manibus duris apta puella fui.*

Ridicula sanè fuit amoris infania illa Saphi , referente Ang. Politiano in Eleg. , quæ proptèr amorem Phaonis à promontorio Leucadio se præcipitem dedit , undè cecinit citatus Poeta

*Mascula quæq; suos cantat moritura calores*

*Levadij Sapho crimen , honorque freti.*

Clarissimus noster Poeta Ariostus Musarum decus , & Ferrarien. Poetarum Princeps , Bradamantem velut insanam ob amorem Rogerii , describit his verbis

„ *Così dicendo di morir disposta*

„ *Salta dal letto di rabbia infiammata ,*

„ *Si pon la Spada alla sinistra costa , &c.*

Multi deniquè amentes evasere ob amorem mulierum , sic Pitagoras insanivit prò amore Pirandri , & Lampridis ; Demetrius proptèr Lamiam , Aristippus per Laidem , Epicurus ob Leontiam , Sofocles proptèr Teoridem , Ovidius ob Corrinam , Tibullus proptèr Deliam , Dantes prò Beatrice , Petrarca prò Laura , & Orpheus prò Eurydice ; Immò ad talem insaniam pervenit in amore Anasaretis Iphis , ut misere laqueo



queo fufpenfus obierit ; Cleobolus in ætate 80. annorum, dùm per fcalam ad amafiam à ftulta, ac ridicula dilectione ductus, raptim transfret per feneftram, cecidit, ac miserabiliter periit, ut fcribit Mat: Palma loc. citato.

## CAPUT VI.

*De illis, qui femel in die cibum  
capiunt, & quoties Veteres  
in die manducarent.*

**M**ultos ex antiquis, fi Mercuriali fides fit habenda, femel tantùm in die cibis faturatos fuiffe conftat, hinc Apollonius antiquiffimus Autor Græcus in mirab. hiftor. ait, *eos qui in die femel tantùm cibis vefcuntur, amarulentioribus effe moribus, quàm funt illi, qui bis &c.*, & Celfus de illis etiàm mentionem facit his verbis: *afuetis bis in die comedere, fi femel folum cibis impleantur, alvum astringi*; & de iftis quoque locutus fuit in lib. de Dieta Hippocrates; Ego verò puto fanitatis gratia alimen-



tum in plures vices dispartitum faciliùs concoqui, sicque laudare non possum eos, qui semel in die cibum capiunt;

Marcus Anton. Muretus eos comendavit antiquos, qui quatèr in die comedebant; Ego autèm Græcos, ter in die comedisse credo; ut per jentaculum, Prandium, & Cœnam, de is enim tribus meminere scriptores; Paritèr de Romanis dicendum; Sic Galenus de tuen. Valet., ait *satiùs est illis*, idest Senibus, *ter cibum sumere*; atque illud fecisse Antiochum Medicum, ac Thelephum Grammaticum dicit. Quod verò de comessatione, & ientaculo à Latinis Scriptoribus memorię mandatum est, ait Mercurialis, pueros solos ipso usos fuisse, perinde, ac hodie ubique ferè gentium hoc usurpatum est, ut pueri summo mane semper aliquid cibi capiant; quaproptèr in Curcullione Plautus facit Phedromum adolescentulum Veneri jentaculum vovere; similiter in Truculento Phronesium Meretrix sic ait

*non novisti obscuro?*

*Qui illic apud me erat, hujus pater pueri  
ille est* *Usque*



*Usque ad ientaculum . Jussit ali.*

Idem dixit Martialis in illo distico'

*Surgite iam pueri , vendit ientacula Pistor*

*Cristateque sonant undique lucis aves .*

Præter pueros , & senes , qui valetudinis gratia ientaculo utebantur , nullos usquam usos fuisse putat cit. Mercurialis , quod si aliqui erant , qui uterentur , protinùs tanquàm incontinentes notabantur ; Ità quoque de merenda dicit Nonnius , quod sit cibus post meridiem assumptus ; paritèr infamia notabantur illi , qui comessationes , seù cibos post cœnam summebant , atque comessatoris nomine indecoro vocabantur , ut non sit mirum , Clementem Alexandrinum in Pedag. Prandiola , Epulas , atq; merendas damnavisse ; Quemadmodum etiàm mirum videri non debet , si Aulus Vitellius Imperator epulas suas sæpè trifariam , interdum quadrifariam dispertiebat , idest in ientaculum , prandium , Cœnam , & comessationem , ut videre est apud Suetonium . Sic apud Grammaticos *Jentare* dicitur prò cibum antè prandium gustare ; undè Afranius ait , *hæc jejunia ientavit , &*



Varro *Rempubicam administraret*, & quod *pulli ientent*; Notandum verò Festum scripsisse merendam esse prandium, quod scilicet medio die caperetur.

## C A P U T VII.

### *De Rabulis Forensibus.*

**T**Antus hodiè Rabularum est numerus, ut silentio eos præterire nefas esset, ubique enim sunt, & in quacumque via obviam veniunt, & quocumque loco, ac tempore ineptis vociferationibus nauscant, isti sunt qui verba vendunt clientulis, & sic dicuntur à Rabie, monente Stephano, vel à raucitate, ut is sit Rabula, qui in negotiis agendis acer est, & rabiosus, & juxtà Festum, qui multis intentus negotiis paratus est ad radendum, & auferendum; sic dicitur rabula à radendo aures, nam, ut à fando fabula, à nando nabula, à stando stabula, à pascendo pabula, ità à radendo rabula; nec alia ratione rabulas in foro dictos putat



tat cit. Stephanus , quàm quod radant ,  
ideft offendant aures , & ut ait Quintilia-  
nus nimia verbositate feriant ; Hinc Cal-  
vin. in lex Jurid. scribit , de his loquen-  
do , istos esse nugatores , qui intèr garrien-  
dum , & velitandum , finum conspuunt ,  
linguam rotant , & dentes arietant . Tàm  
importuni erant isti tempore Fori romani  
apud Gentiles , ut referente Poletto in hist.  
Fori rom. lib. 1. Judices descendentes de  
tribunali retinerent in area , planoque ,  
ut quod vellent , obitèr obtinerent . Isti  
in foro , tanquàm in foco laurus virens ,  
crepitabant , alternis jurgiis convitiaban-  
tur , rixabantur , & latrabant tenso pe-  
ctore , qui sonitum verborum inanem nul-  
la scientia crocitabant , de quibus cecinit  
Poeta

*Immensa cavi spirant mendatia foles*

*Conspuiturque sinus .....*

Quorum lingua , ait Poletus , est volubili-  
tas inanis , ridenda , ac puerilis , conjun-  
ctaque cum aliquot legum rubricis , can-  
cellis circumscribitur forensibus .

*Nevolum caufidicum nasutè exagitat*  
Mar-



Martialis lib. i. hoc epigrammate

*Dum clamant omnes loqueris tu Nevole semper,*

*Et te Patronum , causidicumque putas .*

*Hac ratione potest nemo non esse disertus ,*

*Ecce tacent omnes , Nevole dic aliquid .*

Irridet enim in his versibus Poeta Nevolum imperitum Rabulam , qui , ut se Clientibus ostentaret , loquebatur tantum , dum cæteri clamarent , dumq; intelligi non posset quid diceret , & hac ratione placebat , ut testatur Ramir. de Prado , cumque cæteri tacerent , ipse nec verbum quidem proferebat , hac arte disertus quilibet esse posset , si tamèn hoc esset esse disertum ; Provocavit igitur eum Martialis , ut tacentibus cæteris dicat aliquid .

In convitiis ità sunt stolidi Rabulæ , & inconsiderati , ut eorum petulantiam sæpissimè luat Litigator , quid enim potuit cogitari audacius , inquit cit. Poletus , quid & Causidico , & Litigatori periculosius , quàm Græculum quendam non Advocato partis adversæ , quod ferendum esset , non Judici ignobili , & proletario , sed Claudio Cæsari in medio Fori palam omnibus



audientibus illudere infano hoc dictorio ;  
& tu Senex es , & Stultus ; Tulit tamèn  
Cæsar non æquo , sed fracto potiùs ani-  
mo , parumque generoso , nescias fuerit  
ne ? Græculus insolentior , an Cæsar sto-  
lidior .

Hujusmodi Blaterones , quorum lingua,  
tàm prodiga , volubilis , infrænisque est ,  
ut fluat sempèr , & æstuet coluvione ver-  
borum , egregie ab aliquibus principibus  
utriusque linguæ viris taxantur ; Istorum  
autèm Rabularum adeò miserabilem esse  
professionem ait Franc. Poletus lib. 2 hist.  
For. romani cap. 11. , ut cum pessimè au-  
diant apud quosvis de latrociniis , & con-  
cussionibus , ut tamèn domi esuriant , te-  
nuemque adeò quæstum faciant , ut lon-  
gè inferior sit patrimonio Mimorum , &  
Histrionum , quod notatur satyricè à Ju-  
venale Satyr. 7.

*Veram deprendere messem*

*Si libet , binc centum patrimonia Causidicorli .*  
In quà tota Satyra Poeta irridet , & exa-  
gitat Rabulas . Et tempore Decemvirorum  
nullos fuisse Rabulas , ait cit. Poletus ;

C A-



## CAPUT VIII.

*De Sobrietate , & Gullæ vitio .*

**S**icuti Temperantia , ac Sobrietas , ad vitam conservandam , & prorogandam faciunt , ità intemperantia , ac Gullæ vitium , & luxuries vitæ annos abbreviant , ac salutem adversantur ; undè quia fuerunt nostri patres antiqui longè temperantiores , ac sint qui vivunt hodie , lacte enim , & melle , fructibus , & herbis contenti , luxus , & hodiernas delicias respicere , idè salubriùs , & diutiùs vixerunt.

In victu certè hodie maxima luxuria est , ità ut fercula ferculis , acetaria acetariis , fructus fructibus , cruda coctis , in prima , secunda , & tertia mensa aponantur ; Carnes , pisces recentes , ac salitos varii generis assos , & elixos , conchilia , aves , caseos , fungos , placentas , fructusque omnis generis uno , & eodem epulo usq; ad satietatem , & vomitum ingurgitantur , undè ex tanta ciborum copia , ac varietate in



te in ventriculo congesta pessimæ digestiones fiunt , undè morbi oriuntur , dicebat enim Seneca diversa cibaria inquinare , & non alere , & Plinius simplicem cibum homini utilissimum esse ait , contrà verò ingluviem , & intemperantiam perniciosissimam ; Hinc Persæ tanta moderatione , & sobrietate fuerunt usi , teste Xenophonte , ut modico nutrimento uterentur , quod idem de Arabibus scribit Jovius ; Quin à Solone , & Lycurgo sancitas fuisse leges in luxum , & intemperantiam dixit cum Valerio Maximo Quercetanus in Dietetico ; Prisci Romani aprimè fuere sobrii , nam ut ait Plinius ; *bortos babebant , & ex illis vivebant .*

Tandem verò ad talem intemperantiam pervenerunt , ut integra patrimonia unico prandio dissipaverint ; & videretur , eos non ut viverent natos esse , sed , ut comederent , ac potarent , & vomerent ; Sic de Apicio romano , scribit Seneca , eum Minturnam profectum esse , ut squillis vesceretur , Alexandriam , ut Astacis , Africam , squillarum causa , ubi cum nullas  
repe-



reperisset provinciam execratus est; Cuilibet nota sunt sumptuosa Vitellii, ac Helio- gabali convivia, confecta ex rariorum piscium jecinoribus, murenarum lacte, Phasianorum, ac Pavonum cerebellis, lusciniarum linguis, atque id genus inauditis, ac inusitatis eduliis, quibus non sine magno sumptu eorum mensæ replebantur, ut referunt Sveton., & Cælius Rhodig. lib. 28.

Etiàm apud Græcos luxuriosissimi Epulones fuere; talis fuit Archestratus, de quò Atheneus lib 2., qui non minori studio ubi singula edulia optima nascerentur, in gastrologia sua exposuit, quàm qui orbis descriptiones, & navigationes agrediuntur; Legitur apud Ciceronem, & Plutarcum, magna ignominia, & dedecore acceptum fuisse Mutonium Triunvirum, qui nimium potus, dum munus suum publicè obiret coràm universo populo Romano crapulam turpissime evomuit.

De Timocreone Rhodio legitur Epitaphium celebre, quod sic sonat

*Multa bibens, & multa vorans, mala multa-  
taque dicens* *Ipsè*



*Ipsè viris , jaceo Timocreon Rhodius .*

Cleomenes enormi intemperantia sua , ac feda ebrietate usus variis obrutus est morbis immaturè senescens ; Dionysium juniorem Siciliae Tyrannum nonaginta dies continuos ebrium fuisse , testatur Stephanus Niger de nim. Vitę luxu. Xenarchus Rhodius ob nimiam vini ingurgitationem Metretes cognominatus fuit. Svitrigalus Dux Lituanię , referente Ænea Sylvio, nunquam peregre proficiscebatur , quin dispensatorem interrogaret , an librum , quem de arte coquinaria componi curaverat , secum ferret ; Ejus autem Cœna in sex horas ad minimum protrahabatur , & ferculis non minus 130. utebatur.

Culenus Scotorum princeps voluptatum turpissimarum mancipium , ludos symposiacos instituit , ut qui potando , vorandoque victor extitisset , hedera coronabatur , & munus accipiebat amplissimum ; sic paritèr Mitridatem , qui bella cum Romanis gessit in muneribus quæ edidit , voracitatis , & vinolentiæ , fama est præmia proposuisse , cumque victorem fuisse utrobique ,



bique , ac planè omnium coevorum suorum bibisse plurimum , & inde fuisse Bacchum nuncupatum teste Plutarco lib. i. quæst. , & Beyerlinck in Theat. vit. human.

## C A P U T IX.

### *De Serapide Idolo celebri.*

**S**Erapis à multis Apis , & Osiris dictus est , & apud Ægyptios Idolum fuit magnæ venerationis ; de hujus origine variæ sunt opiniones ; Aliqui enim Jovem ipsum esse putabant , alii Nili fluminis virtutem esse credebant ; nonnulli tandem Serapidem Regem fuisse Ægypti tradunt , qui rudes adhuc homines ad mitiorem vitæ cultum traduxit , & colendarum vinearum , ac agrorum rationem docuit , sicque famis tempore subditis alimenta præbuit , ideoquè eum , dum viveret summo honore exceptum fuisse , & mortuum in Deorum numerum relatum , dixere . Macrobius verò scribit Serapidem Solem esse , quoniam caput hujus *Idoli* radiis solaribus  
orna-



ornabatur, quod confirmat Illustriss. D. à Turre de Mitriha cap. 2. ; Celebratur autem Serapis sub forma Bovis, quia hoc Animal est omnium fere animalium utilissimum; de hoc vid. Strabo, Serra, & Amian. Marcellinus; Templum maxima illi fuere dicata, & Alexandriæ, & Memphi; & horum exemplo illi Fana dicaverunt Spartani, & Athenienses; nec non Romani quoque huic Idolo Templum aperuere *Serapium* dictum, in quò, teste Musfardo magna cum lascivia cantabant, & tripudiabant viri, ac mulieres; hoc Idolum supersticiosè colebat inprimis Vespasianus juxtà Svetonium, & Tacitum; & ab ejus oraculo delusum fuisse Hannibalem ferunt multi, cui de suo fato interroganti respondit:

*Lybissa teget gleba Hannibalis corpus.*

quod Annibal sic interpretatus fuit, quasi ipsius corpus in Lybia, idest in Aphrica componi deberet, & moriturus in sua patria; At Oraculum innuebat Lybissam fluvium Bitiniæ, in quò paulo post Annibal venenum hausit, ne in manus Romano-



rum veniret ; Hujus Idoli Statuam , ait Scedius , ex auro , argento , ære , ferro , gemmis , ossibusq; Apis , & Osiridis fuisse confectam . Tanta autem veneratione colebatur hoc Idolum , ejusque talis vanissima opinio erat , ut multos quoque Christianos invaserat timor ; nam cum Theodosius edictum promulgavisset , teste Ruffino in Histor. Ecclesiast. lib. 2. cap. 23. , de diruendo Serapidis Idolo , milites cristiani , quibus lege agere mandatum erat , coràm illo meticulosi stabant , nec attingere audebant , cùm demùm unus ex militibus , magis fide , quàm armis munitus , arrepta securi insurgens statuam idoli frustulatim conscidit , quæ frustula igni data , illicò tanquàm lignum aridum consumata fuere ; Quidam dixere , hanc Statuam in honorem Josephi justii fuisse eformatam , teste cit. Ruffino ; Post verò istius simulacri ruvinam tanta secuta est Nili exundatio , tantaque terræ ubertas , ut anteaëtis sæculis nulla unquàm maior esset visa .

Plutarcus in lib. de Isi , & Osiride tradit Serapidem idem cum Platone estimatum



tum fuisse; & ab hoc Idolo Trinitatis mysterium assertum esse testatur Clariss. noster Lil. Gregor. Gyraldus in hist. Deor. Synt. 6. , Consulenti enim cuidam Regi Ægypti , quisnam se esset beatior , ita respondisse fertur.

*Principio Deus est, tum Verbum his spiritus una est*

*Congenita hæc tria sunt cuncta hæc tendentia in unum.*

Ideòque etià per Demonem Sanctissimam Trinitatem assertam esse dicendum , per hoc enim Idolum , ut & per alia antiquitùs Demones locutos certum est . De Serapide plura dabit Illustriss. D. Co. Camillus Silvestri in not. eruditiss. ad Juvenal.



## CAPUT X.

*De Carne Svilla.*

**D**E Suibus , qui ab Hebræis *Chazir* dicuntur breviter aliqua dicenda sunt in capite præsentis ; de his autem pauca habent Sacri Scriptores , quia quandiu stetit Hebræorum Respublica in Judæa nullos fuisse Sues , testatur Samuel Bocartus lib. 2. de anim. sacr. script. cap. 57.

Hinc Porfirius in lib. de abstin. à cæde animal. ullos in Judæa nasci sues disertè negat ; Porcum ad solam mortem nutriri ait Lactantius , cum nullum quandiu vivit præstare possit usum ; cum igitur Sues non nisi mortui hominibus prosint , & cum ad sacrificia , & ad esum lex in Judæis veta-  
verit eorum usum , idcirco pauca scripta de Sue in sacris scriptoribus reperiuntur ; Hebræi verò hujus legis causam physicam putant , porcum comedenti periculum esse à Lepra , si enim infans , ait Plutarcus , lacte svillo nutriatur fiet leprosus ; Cle-  
mens



mens verò Alexandrinus per Sues, quorum  
 esus in lege prohibetur, intelligit impuros  
 homines, qui porcorum more semper in  
 luto, & stercore, idest in vitiis jacent, prohi-  
 beri: Plura de hac re videantur apud citat.  
 Bocartum, qui more solito super hac re  
 eruditè disserit; solummodò mihi liceat ex  
 Macrobio Saturnal. lib. 2. cap. 4., addere,  
 Augustum, cum audivisset Pueros à Re-  
 ge Judæorum Herode interfectos, & suum  
 filium quoque, exclamavisse, melius apud  
 Herodem porcum esse, quàm filium; Ri-  
 dendo igitur Hebræos Juvenalis in Satyr.  
 6. cecinit

*Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

Romani verò, alięque Gentes semper use  
 sunt carne svilla, utpotè grata, ut & mo-  
 dò nos facimus; Sic Varro ait, pecus svil-  
 lum donatum esse à Natura ad epulandum,  
 & Galenus tertiana affectis in lib. 1. ad  
 Glauc. præter testiculos, & alas gallorum,  
 & ova forbilia, porcorum pedes, cerebrum,  
 & carnes svillas in jure liquefactas præbet,  
 quod idem confirmat Jo: Langius in Epif.  
 Medic. . Titus Quintius ante tribuna-  
 tum,



tum, & Præturam Consul designatus, in Chalcide apud Hospitem cenans miratus fuit de carnum varietate, & copia; Hospitem verò affirmasse traditur, illas omnes esse svillas, condimentis, & præparationibus differentes; ex quo mirè carnem svillam comendat Bruierinus; Mirum autem est, in Arabia svillum genus non vivere; Eumeus subulcus Ulyssis, in *Odis.* 3., quem ex bello Trojano, & naufragio, sibi tum ignotum, reducem hospitio excepit, dixit: *Ede bospes, nam bæ porcellorum carnes.* Procos quoque Penelopes, obesos Sues edere dixit Langius; undè constat, veteres Græcos Porcellos comedisse; & olim in pretio fuisse apud Romanos, testatur Martialis in lib. 13. canendo

*Lacte mero pastum pigrę mibi matris alumnũ.*

*Ponat, & Aetolo de sue dives edat.*

super quo Domitius intelligit ipsum divitem sibi habere ingentem Aprum, quantus fuit Aetolus interfectus à Meleagro; Me autem legisse recordor apud Strabonem lib. 12. Cleonem Jovis Abretanii Sacerdotem, latronem insignem in monte

Olym.



Olympo , cum ab Antonio ad Cæsarem defecisset , prò latrone Principis habitum gessisse , postea Comanorum Sacerdotium in Ponto accepisse ; ad quod cum venisset intra mensem obiit ex nimia crapula morbo correptus ; In eo autem Fano prohibitus erat svillarum carniū esus , undè nec in totam Urbem Sus inferebatur ; sed Cleon Latronum more consuetudinem prevaricatus est , atquè idcirco creditur irà interiisse Numinis . Cæterum luxuriæ comedendi Aprum inventorem fuisse P. Servilium Rullum Annalia tradunt , & in huiusmodi mores clamat Satyricus in 1. Satyr.

*quanta est Gula , quæ sibi totos .*

*Ponit apros , animal propter convivia natum.*  
Notandum verò Argivos in festo , Porcum Veneri mactavisse , & Mense Majo Mercatores , Majæ porcā prægnantem immolabant ; Legitur etiā Cereris mysteria Sue cæsa celebrata olim fuisse ; undè Poeta canit

*Prima Ceres avidè gavisa est sanguine porcæ ,*

*Ultra suas merita cede nocentis opes .*

Immò adendum est , fœdera pacis , & nu-



ptiarum in Græcia, Latio, & Etruria,  
Sue mactato confirmata fuisse, asserit Jo:  
Langius in Epist. Medic.

Mentio fit apud Gellium de Porca  
præcidanea, quæ immolabatur  
piaculi gratia antè fruges,  
hostiæ enim præcidaneæ  
erant illæ, quæ  
antè solemnia  
sacrificia  
pridiè cedeban-  
tur.



ADVERSARIORUM  
JOSEPHI LANZONI  
LIBER SECUNDUS.

AD ILLUSTRISSIMUM  
D. APOSTOLUM  
ZENUM VENETUM

*Omni Eruditionum genere instructum.*

---

CAPUT I.

*De Nominibus Mensium.*

**I**anuarius primus Anni Mensis est, & à Jano nomen habet, sicuti enim Janus dicitur bifrons, idest, & præterita, & ventura cernens, ità paritèr iste mensis finem elapsi anni, & initium futuri habet; sic Numa à Jano Annum ordiri voluit, Romulus verò à Marte, & sic Martium



tium primum anni Mensē dixit; Calendis Januarii sacrum Jano fiebat ex thure, ac mero; Consules in Capitolium ascendebant, consulatum inibant, & Jovi Juvenças mactabant; in hujus mensis initio Strenæ ultrò, citròque mittebantur, & Vota; In hujus mensis Calendis luctus cessabat, convivía apparabant, liberabantur Servi, & Captivi, pecuniam spangebant, lites suspendebant, nitidiùs induebantur, ludos agebant, & januas, & templa coronabant.

Februarius nomen à Februo Deo lustrationum habet, cui à Numa dicatus fuerat, hoc enim mense tota Civitas lustrabatur; ideòque dicebantur Februa, quęcunque purgamenti causa in sacrificiis adhibebantur. Isidorus Februum Plutōnem nuncupat, sed Censorinus Februum, ait esse quidquid expiat, expurgatque, undè februare, purgare, & purum facere idem sonat; In hoc autem mense lupercalia celebrabantur; plura de hoc mense eruditè exarata tradit Clariss. noster Lil. Greg. Gyraldus in lib. de mens., & annis.

Mar.



Martius mensis à Marte sic dicitur, cui veluti Patri suo primum Anni mensem dicavit Romulus, undè Ovidius cecinit

*Mars latio venerandus erat, quia præsidet armis .*

*Arma fere genti, remque, decusque dabant.*  
Calendæ verò istius mensis à Matronis celebrabantur, quò illo tempore Junonis, & Lucinæ Ædes coli cœpta est, & servis matronæ aponebant convivium, ut in saturnaliis faciebant Domini, teste Solino, & Macrobio; Servius Calendas Martii celebres esse ait, quia eo die pax intèr Sabinos, & Romanos ob raptas Sabinas facta est; Martii insupèr prima die novus ignis aræ Vestæ accendebatur; atquè exolvebantur mercedes magistris.

Aprilis mensis à Venere ità vocatur teste Hildebrando in Antiquit. rom., sic etiàm dicitur ab aperiendo, eo quod terras, & maria, quasi clausa recludat, & aperiat, & prima hujus mensis die constitutum fuit, ut Matronæ Veneri sacrum facerent.

Majum tertium mensem Romulus posuit,



fuit , de cujus nomine intèr Autores magna dissensio est ; Sic dicitur iste mensis à *Majoribus* , quoniam Romulus cum populos in majores , & minores divisisset , id est juniores , in honorem utriusque partis , hunc Majum , sequentem Junium dixit ; vel , ut alii dicunt , dicitur Majus à Maja matre Mercurii ; de hoc mense erudite Macrobius lib. i. saturnal. Quin etiàm mensem Majum Mercurio sacrum fuisse , ait Plutarcus , & istius mensis prima dies dedicata est Maję sub nomine Bonę Deę , & eandem esse Bonam Deam , & Terram inquit Gyraldus ; Notandum autèm mense Majo nubere bonum non fuisse , ut colligitur ex Ovidio , & Plutarco ; ex quò patet in errorem incidisse Alex. Tassonum , qui in suis opinionibus dixit , Ferrarienses nostros non nubere tali mense consuevisse , nàm etiàm Romani antiquitùs à nuptiis abstinebant mense Majo , ut advertit Gyraldus noster in lib. de mens. , & ann.

Junius dicitur à Junone , vel , ut suprà dixi à Junioribus Populis , quibus dicatus  
à Ro.



à Romulo fuit ; Illi autem qui ajunt à Junone sic dici , huic inituntur rationi , nam isto mense Junoni magni habebantur honores , undè à multis Junonius , non Junius dicebatur , sic Ovidius

*Est illic mensis Junonius .....*

Et sicut aliqui volunt in Coment. Fastor. apud Majores Romanos hæc appellatio mensis Junonii diù mansit , sed postea detritis quibusdam litteris , ex Junonio Junius fuit dictus ; Aliqui Junium à junctis , & unitis Sabinis , & Romanis dici voluere , unde Ovidius

*Et lare comuni generos , socerosq; receptos,*

*His nomen junctis Junius inquit habet .*

Nonnulli deducunt hoc nomen à Junio Bruto , qui pulso Tarquinio Tyranno primus Romæ Consul , ac liberator est factus .

Julius mensis , qui , & Quintilis nuncupatur , quia quintus à primo , nempe à Martio est , in honorem Julij Cæsaris , qui hoc mense est ortus , Julius est appellatus , undè Macrobius ait in honorem Julij Cæsaris Dictatoris Julius est dictus ,  
quod



quod hoc mense ad quartum idus Quintilis, Julius procreatus sit.

Augustus paritèr mensis antea sextilis dicebatur, quia à primo mense idest Martio sextus esset; dicebatur autem Augustus in honorem Augusti, qui insigniores eo mense res gessit; & hoc ex Senatus Consulto, nam Imperator Cæsar Augustus mense sextili consulatum suscepit, triumphos tres in urbe tulit, & Ægyptum hoc mense in potestatem Populi Romani redegit, ut notat in Saturn. Macrobius; Ideòque de hac re plebiscitum factum fuit, Sexto Pacuvio Tribuno plebem rogante.

September mensis sic vocatus est, quia à primo, nempe Martio septimus est; Priscianus autem putat ab voce *imber* sic dici, sed à doctioribus Criticis id neuti-quàm probatur; volebat enim hic Autor Septembris mensẽ ab imbre dici, eoquod, ut ego puto, sæpè hoc mense pluviae cadant. In tutela autem Vulcani fuisse hunc Mensẽ, ait Gyraldus; cujus mensis secunda die factum fuit navale bellum inter Cæsarem Aug., & Marc. Antonium,

ut



ut testatur Dion in sua historia . Macrobius autem inquit mensẽ Septembris principalem sibi retinere appellationem ex Germanici appellatione .

October ita dicitur , quod octavus esset à primo , nempe Martio ; hunc mensẽ suo nomine Domitianum invasisse , ait Macrobius ; In Martis autem tutela erat , unde October equus appellabatur , quia in Campo martio mense hoc immolabatur quotannis Martibigarum victri , cum dexterior , teste Gyraldo nostro , & Equus potius quam bos immolaretur , quia hic bello , bos est frugibus pariendis aptus , cum ergo Octobri Mars præsideret , hinc est , quod tali mense immolabantur Equi , qui Deo Marti erant dicati ; de hoc plura cupienti dabit Festus .

November mensis ita dictus , quia novus à primo nempe Martio ; sub præsidio Dianæ fuit apud antiquos Romanos , & hoc mense maria claudi dicebantur , & Jovi Epulum celebrabatur ; Vacunalia etiam tali mense celebrari fuisse solita , ait Gyraldus ; Vacuna autem erat Dea , quæ  
præe-



præerat vacantibus , & otiosis , cui à laboribus cum vacarent Agricolaë post cæptos fructus , & agrorum cultus per hyemem sacra faciebant , hinc Ovidius

*Nam quoq; cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ  
Ante Vacunales , stantque , sedentq; focos.*

December demum mensis est decimus à Primo, idest à Martio , undè , & nomen illi est . In Vestæ tutela fuit , & dicatus Saturno , undè Saturnalia celebrabantur hoc mense , bellum summere nefas erat , sicut à nocente pœnas exigere piaculare ; de hoc mense plura apud Macrobius . Hic autem notandum , antiquitus Annum ex X. mensibus tantum conflatum fuisse ; multo tempore autem post Romulum Januarium , & Februarium additos illi fuisse aiunt , sicquè annus ex xii. Mensibus , compositus fuit , ut etiam hodie.



## CAPUT II.

*De Poculis antiquis.*

**C**Um varia sint poculorum genera, ego ad tria tantum refero, *Sextans* nimirum, *Deunx*, & *Triens*. Primum est illud genus, quod valetudinarii, & temperati utebantur, secundum quod intemperati, ac bibaces, tertium tandem hoc est *Triens*, quod plerique ordinariò, & quotidiano victu utebantur; In conviviiis à parvis calicibus incipiebant, & in capaciores terminabant, usq; ad sordidam Ebrietatem; solemne fuit, ut Deo alicui libarent, idest ex calice lævitèr aliquam partem vini difunderent, vel in mensam, vel in terram, & quandòque in honorem Amici, aut alicujus Fœminæ amatæ tot cyathorum vinum potabant, quot literę in ipsius essent nomine, sic Martialis

*Nevia sex Cyatbis, septem Justina bibatur*

*Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.*  
de quò usu multa me scripsisse recordor in



Epistolis memorabil. Anton. Bulifoni Neapoli Impress. ann. 1698. tom. 4. pag. 265., nunc ad pocula redeamus.

Pocula igitur primò fictilia fuere, potissimum ex terra Samia, undè Ausonius cecinit

*Fama est fictilibus cenasse Agathoclea Regem,  
Atque abacum samio sepe onerasse luto.*

De faginis calicibus meminit Virgilius in Eclog. 3.

*Pocula ponam fagina....*

& Ovidius in lib. 3. Fastorum

*Terra rubens crater, pocula fagus erat.*  
De poculis è cornibus bovinis paratis multi antiqui Scriptores egerunt, & ego de hac materia nonnulla scripsi in tom. 2. Musæi Minervæ pag. 185. quem locum videat Lector curiosus.

Electrina pocula magnatibus olim in pretio fuisse, ait Hildebrandus in compend: antiq. roman.

De argenteis poculis meminit Juvenalis canendo

*Pauca licet portas argenti Vascula puri  
Paritèr de aureis, & pretiosis gemmis distin-*



stinctis cecinit ipse Satyricus

..... *nulla aconita bibuntur*

*Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes*

*Gemmata, & lato setbinum ardebit in auro.*

hinc etiàm Virgilius lib. 1. *Æneid.*

..... *Celataque in auro*

*Fortia facta patrum*.....

Murrhina fuere illa pocula è murrha facta, lapidis genere, ut multi aiunt, cum odoris comendabili præstantia, tum colorum varietate insigni; de quibus Juvenalis in Satyr. 6.

*Grandia tolluntur crystalina maxima rursus*

*Myrrhina* .....

De istis poculis multa cupienti dabit Nicol. Guibertus in lib. de Murrhinis.

De Vitreis poculis, atque Crystallinis pleni sunt Doctorum libri; de quibus nonnulla collegi ego in Epistola de Arte vitri impress. in Museo Minervæ tom. 2.

Cranium humanum deniquè barbaris quibusdam gentibus prò poculo fuit; Sic Alboinus Langobardorum Rex, Regis à se prælio cæsi filiam Rosimundam uxorem duxerat, ex Soceri verò calvaria poculum



fecerat quò in Epulis usus, Rosimundam coegerat, ut eodem peculo biberet tanquàm Patri propinans; quàm iniuriam ulta fuit Rosimunda juvene quodam in ejus necem impulso pactione nuptiarum; quàm historiam tragicam, sed curiosam egregiè narrat Paul. Diaconus lib. 1. de Gest. Langobard.

### C A P U T III.

*De calculo albo, & nigro apud Veteres.*

**C**Alculum cretæ absolutionis, carbonem verò condemnationis Symbolum fuisse apud Veteres, ait Alex. ab Alexand. lib. 3. Gen. dier. cap. 5., undè Ovidius lib. 15. Methamorphos. cecinit

*Mos erat antiquis niveis, atrisque lapillis,*

*Hos damnare reos, illos absolvere culpa.*

Antiqui enim per cretam album, & candidum, ac per carbonem atrum, & nigrum colorem significabant, licèt tamèn ater à nigro diferat, quoniam omnis ater niger est, at non omnis niger ater est; ater enim horroris aliquid habet, estque visu

tri-



tristis , & iniucundus , ac proindè etiàm lugentibus peculiaris , at niger non ità , est enim apud nos nonnunquàm lepidus , ac venustus ; Attamen , & color ater , & pullus , & niger antiquis infaustus fuit , undè istis coloribus in parentalibus utebantur , & qui mortuis iusta persolvebant , atris vestibus induebantur , & dicebantur atrati , pullati &c. , hinc meritò Alciatus in suis Emblematis , pullum vocat mæstitiæ colorem , dùm canit

*Index mæstitiæ est pullus color .*

Quod etiàm ex historia Thesei nobis proditum est , hìc enim occiso Minotauro , cum ad Patriam rediret , & imprudentè nigro uteretur Velo ; Pater ejus à longè hunc colorem tanquàm mortis filii signum accipiens , se in mare præcipitem dedit . Hìc verò cum Tiraquello in Alexandr. prætermittere nolo alba semper læta , & auspiciata fuisse credita , undè atros dies infaustos dicebat Macrobius , cùm Nonnio Marcello , ex quò Virgilius

*Abstulit atra dies . . . . .*

isti sunt dies illi , quibus apud Veteres le-



giones educere , aut acies cùm hostibus  
committere , vel quidquam Reipublicæ  
agere Religio non permittebat , propterea  
vocabantur religiosi , & tristi omine infames ,  
in quibus , & res divinas facere , &  
rem quampiam novam exordiri non licebat ,  
cur autem dies primos post Kalendas ,  
Nonas , & Idus , tanquam atros religiosè  
Antiquorum plerique vitaverint , rationem  
assignat ex Ver. Flacco desumptam Aul.  
Gellius noct. atic. lib. 5. cap. 17. , his verbis ,  
„ Propter hanc causam atri dicuntur , quia  
„ Urbe à Gallis Senonibus recuperata L.  
„ Atilius in Senatu verba fecit ; Q. Sulpi-  
„ tium Trib. milit. ad Albiam adversus  
„ Gallos pugnaturum rem divinam dimi-  
„ candi gratia idus fecisse , tùm exercitum  
„ Romani populi obsidione occisum , &  
„ post diem tertium ejus diei urbem præter  
„ capitolium captam esse , compluresque  
„ Senatores recordari se se dixerunt , quo-  
„ ties belli gerendi gratia res divina postri-  
„ diè Kalendas , Nonas , & Idus à Magistra-  
„ tu Populi romani facta esset ejus belli pro-  
„ ximò deinceps prælio , rem malè gestam  
„ esse



„esse ; Hinc Macrobius lib. 1. Saturn. de atris hisce diebus ait : *omnes potriduani dies , seù post Calendas , seù post nonas , idusve , atri sunt , ideò , & nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt .*

Dicuntur etiàm à multis dies Ægyptiaci , vel quia illis diebus percussa fuit Ægyptus , vel quia primi fuere Ægyptii , qui invenerunt dies cavendos , tanquàm nefastos , & infortunatos ; hinc Nonæ etiàm inter atros dies numerabantur ab Antiquis quia Meretrix post nonam in lupanari prostabat , ut monet Contr. Riterfusius com. ad Salvianum , undè Persius nonariam Meretricem sic vocat

*Si Cynico barbam petulans nonaria vellat .*

& cùm Persio Stuchius in Antiq. Conviv. lib. 1. nonariam dicit Meretricem , tanquam infaustam , ac omninò damnosam juvenibus , quos pessundant Meretrices , expillant , & ad miseriarum voraginem detrudunt ; De hac autèm re plura curiosi dabunt Cæsar Calà de feriis quæst. 4. , Aul. Gellius noct. atic. , Macrobi. Satur. , & alii plures ; nos verò ad album , & ni-



grum redeamus. Nigros appellat Horatius eos qui in vitia cadunt, dùm canit

*Hic niger est, hunc tû Romane caveto.*

Et nigrum prò mortuo accepisse videtur Servius dùm illud Eclog. 5. edisserens ait, *contrà Mortuos nigros dicimus*, hinc Juvenalis

*..... & populum nigros efferre maritos.*  
nàm, & mortem nigram vocat Statius Theb. lib. 9.

*..... & nigræ præcedunt funera Mortis.*  
Album autèm viventis esse Symbolum docet Martinus de Roa singular. lib. 6. cap. 15. Alii nigrum prò malo, album prò bono usurpant, undè Persius

*..... per me sint omnia protinus alba.*  
Et Juvenalis in 3. Satyr.

*..... qui nigra in candida vertunt.*  
nec non Ovidius cecinit

*Candida de nigris, & de candentibus atra*  
quos explicare videtur Terentius in Phorm. cum ait

*His pretium nunc est, qui recta prava faciunt.*  
Album insuper puritatis, fidei, ac castitatis, aliarumque virtutum est signum, undè  
reli-



religioni est accomodatum, hinc Cicero 2. de legibus ait: *Color albus præcipuè decorus Deo est*; ideòque candidæ vestes olim in Sacrificiis erant in usu, cujus causam reddunt Plato, & Plutarcus. Sicut autem album virtutum erat indicans, ità nigrum vitiorum, ac scelerum erat argumentum, ut suprà innui; sic Rei in atra veste prodibant, ut Corn. Lentulus Prætor ob conjurationis facinus, & huc facit illud Pythagoræ *à nigram caudam habentibus abstinere*; cujus Symboli optimam explicationem habet insignis noster Ferrarien. Co. Franc. Bernius in suis Arcan. moral. pag. 44. De albis sententiis hoc est non obscuris, & tenebricosis loquitur Adr. Turnebus in lib. 6. adversar. cap. 4. his verbis; *Asinius Polio apud Senecam Albutii sententias, quæ apertæ erant, & faciles, appellat albas*. Nigrum interdum prò infausto, infœlici, luctuoso, & inauspicato sumitur ab Autoribus, ut è contrà candidum, sive album prò fausto, fœlici, ac victoriæ signo, undè qui re benè gesta in bello cùm triumpho in urbem ingrediebantur in Curru



ru Equis albis tracto vehebantur; hinc proverbium *Equis albis percurrere*.

Album colorem proprium libertatis esse docuit Lipsius in lib. 1. elector. cap. 15. Id autem, quod esset coloris albi ad boni naturam pertinere aiebant Pythagorici, quod verò atro colore induebatur, mali, cui alludere videtur illud famosum Juvenalis Adagium

..... *quia tu gallinæ filius albæ.*

de quò Erasmus, & Manutius; Quare meritò postea apud Athenienses Sacra ob lætitiā quampiam faciens, alba veste induebatur, ut de Demostene tradit Plutarchus in ejus Vita.

Olim fuisse consuetudinem apud Cretenses, ait Christ. Lambinus com. in Horat. carm. lib. 1., ut quot dies sibi fœlicitè evenirent, tot albos lapillos in vasculum conjicerent, nigros verò in iis, qui infœlicitè evenissent, atquè elapso anno enumerabant albos, totidemquè se dies vixisse dicebant, undè Persius cecinit

*Hunc Macrine diem numera meliore lapillo  
Qui tibi labentes apponat candidus annos.*

Non



Non solum Cretenſium iſte mos erat, verum quoquè Tracum fuit hæc conſuetudo, ut ſcribit Plinius, & de his loquens Lam- binus, ait *Traces eos dies, quibus ſecunda Fortuna veſſent uſi, jucundèque & beatè vi- xiſſent albo lapillo notabant, nigro contrarios: propterea dies fœlices, albos Soles voca- bant, tristes verò nigros, quia illos albis, hos nigris lapillis notabant, undè Hora- tius in Satyr 9. canit*

*..... bunc sine solem*

*Tam nigrum .....*

ſuum caſum deplorans; Catullus contrà Soles candidos uſurpavit prò diebus lætis, & jucundis

*Fulſere quondam candidi tibi Soles.*

Candidam etià, hoc eſt fœlicem noctem vocat Propertius his carminibus

*O me fœlicem, ò nox mihi candida, & ò tū*

*Lectule delitiis .....*

immò Auroram candidam dixit Tibullus lib. 1. Eleg 3.

*..... hunc illum nobis Aurora nitentem*

*Luciferum roſeis candida portet equis.*

Album paritèr colorem hyemi convenire,

ob



ob nives candidas, ait Tertullianus in lib: de spectaculis; & Vestes candidæ tanquàm præmium Victoriis promittuntur in Apocalypsi cap. 3. his verbis; *Qui vicerit vestietur vestimentis albis*; de quâ re vid. Picinel. in lum. reflex. part. 9. Candidam fasciam deniquè, tam Romanis, quàm exteris gentibus, regium insigne fuisse à Libero Patre inventum testatur Plinius lib. 7., undè Tigranem Armenum candidam fasciam insigne regium antè Pompei pedes abieciſſe, velut à Dominio se abdicantem, scripsere Dion Plutarcus, & Marc. Donatus in annotat. ad Ælium Lampridium.

#### C A P U T IV.

*De Termino convivii tubarum sonitu,  
ac de Cedrinis mensis.*

**T**ubarum sonitum apud antiquos terminum convivii significaviſſe colligitur ex Tacito Annal. lib. 15. his verbis; *initia vigiliarum per Centurionem nunciari, convivium buccina dimitti*; undè Lipsius com.



com. ad loc. Taciti, & in lib. de militia Romana scripsit, *ut tempore convivandi cuncti Tibicines, ac Buccinatores ad Tentorium Ducis personent*; hinc Atheneus lib. 4. Cœnam sponsalem, ac magnificam Carani Macedonis Tubæ sonitu terminavisse, meminit his verbis, *quod tandem extremæ cœnæ tuba signum editum est*; Quaproptèr ego Macedonum morem universalem fuisse claudendi convivia tubæ sonitu deduco, maximè quia ipse Atheneus addit *Macedonum enim tu consuetudinem non nescis in frequentibus epulis observatam*; Atquè Ælianus in var. histor. lib. 8; cap. 7. hoc de Macedonum usu ait: *Tubæ signo accumbebant, eodemque signo finem adesse significabatur*; ex quibus ergo apparet tubæ sonitum finem convivii apud aliquos veteres constituisse, quod sanè apud nos hodie minimè est in usum; immò, multos Magnates, quando convivia incipiunt, tubæ sonitum indicunt, qui non nisi convivii termino, finitur.

Cedrinæ verò mensæ olim apud Romanos in pretio magno fuere, de quarum luxu scribens Plinius lib. 13., ait *confines ei*

At-



*Atlanti monti , Mauri , quibus plurima arbor cedri , & mensarum insania ; quas fœminæ contrà margaritas regerunt ; istarum autèm pretii ratio erat regionis distantia , cùm apud Atlantem Mauritanix Montem harum materia reperiretur , quod testatur Martialis lib. 14. his verbis*

*Accipe fœlices atlantica munera Sylvas*

*Aurea qui dederit dona minora dabit .*

Figuram hasce mensas habuisse rotundam, ait Sthuckius lib. 2. antiq. convival. Seneca etiàm sui temporis luxuriam detestatus est , dùm citri radices insanis licitarentur pretiis ad mensarum , & lectorum ornamenta , ex quà Senecæ sententia multieas è citro fuisse confectas sunt arbitrati , quidam tamèn contrà , quòd citri materies mensarum amplitudinis minimè sit capax ; Verior tamèn opinio , ut non è citro , quæ fert citrea , sed ex alia ejusdem generis , quæ in Anchorario Monte citerioris Mauritanix , & Atlante nascitur ; Citrearum istarum mensarum meminerunt Paulus Jur. Conf. , Tertulian. lib. de Palio sub finem , Hermol. Barbarus cor. in Dioscor. ,  
Be.



Beroald. in adnot. ad Lucan. , & alii plures . Ciceronianarum etiã mensarum nomine insignitas fuisse cedrinas has tabulas à multis colligitur ex Dempstero ad Rosin. lib. 5. , & deducitur à Tertulliano lib. de Anima , qui sic scribit: *Quod mensis Ciceronianis infertur* ; undè Plinius habet verba sequentia: *extat hodie Tabula M. Ciceronis in illa paupertate , & quod magis mirum est illo ævo emptæ H S. undecim memoratur , & Asinii Polii H S. undecim venundata* . Maculatas autem istas cedrinas tabulas fuisse colligitur à Petronio in Satyric. dùm cecinit

..... *Ecce afris eruta terris*

*Citreæ mensa , greges servorum , ostrumque renidens*

*Ponitur , ac maculis imitatur vilibus aurum .*

Et maculas has non ad purpureos tapetes, ut ille loquitur, refero, sed ad citreæ mensas, quæ quò maioribus conspiciendæ maculis , eo cariores erant ; de quâ re videatur Plinius.



## CAPUT V.

*De Tragœdia.*

**T**Ragœdia, juxtâ Theophrastum est Heroicæ fortunæ calamitas; & sua dente Scaligero est imitatio illustris Fortunæ, sine tamèn infœlici, gravi carmine conflata, quæ definitio desumpta fuit ab Aristotele; Udenus Nisieli, sive Benedict. Fioretti magnus ille criticus vocat Tragœdiam purgatricem affectuum vitiosorum medio pietatis, & timoris, quod confirmare videtur Clariss. Muratorius in Perf. Poes. lib. 3. cap. 1.; Cùm ergo Tragœdia moveat animos auditorum ad pietatem, & sic pariat illam delectationem innocentem, & utilem, finem præcipuum Poetarum, hinc est, quod à funestis actionibus vim habet; Itâ Scaliger ait, non in sola lætitia jucunditatem sitam esse, sed ex quacunque disciplinæ adeptione capi posse, discit enim spectator, quemadmodum picturarum, quoque facies horribiles,



nihilò feciùs spectantur, & juvant, unde Jac. Mazzonus scripsit, Tragœdiam debere in omnibus suis partibus impleri ærumnis, quod confirmare videtur noster Clariss: Pigna, dùm inquit, illas Tragœdias magis esse gratas, quæ in tristitiam mutantur, istæ enim magis docent, hinc Cæl Rhodiginus hoc habere proprium, ait Tragœdias, ut in adversam desinant fortunam; supposito igitur esse partem necessariam in Tragœdiis motionem pietatis, quæ ut plurimum provenit à morte innocentibus illata, non incongruum puto hîc quærere, an melius sit narratio funesti facti, an verò ejus representatio, ad hoc, ut actio ducatur ad terminum suum, per terribile, & miserandum, finè quibus nequit haberi Tragœdia, quæ bona sit. Horatius ad Pisones scribens docet, Medeam ante populum occidere non debere suos filios: *Nec pueros coràm populo Medea trucidet*; attamèn per hoc non tollitur, ipsum Horatium aliquandò approbare publicas occisiones, sed tantum illas vetare, quæ turpiter fiunt; & sic noster Pigna dat exempla, quæ ad tria capita referri pos-

E

sunt



sunt, & hæc sumpta sunt à verbis ipsius Horatii; unum est illud, quod non est efficax, aliud est illud, quod non est commodum, tertium verò illud, quod non est possibile, & sic tantam vim puto non habere si Medea coràm populo trucidet filios, ac si hæc atrocitas narrata audiretur, dùm loca horroris, & miserationis melius exprimentur à narratore, qui id verbis ad pietatem accomodatis representet, quàm ab eadem actione, licet contrarium sentiat Paulus Benius innixus auctoritati ipsius Horatii

*Segnius irritant animos demissa per aures,*

*Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

Sophocles autem, & alii antiquiores, in suis Tragædiis meliora sequuti, nunquàm induxere coràm populo atrocita facta; Quantum verò ad non commodum, parum sanè aptè coràm adstantibus v. g. Atreus proprios nepotes coqueret, ideòque melius est hujus sceleris narrationem afferre; undè Poeta cecinit

*(Atreus.*

*Aut humana palàm coquat exta nefarius*

Ad non possibile tandem refertur illud Prognis, & Cadmi, cùm prima in avem conversa



versa sit , & alter in anguem ; sic Poeta  
*Aut in avem Progne vertatur Cadmus in  
anguem .*

Debet ergò in tragicis observari , quod  
quando nihil absurdi cadat coràm populo,  
tunc licèt necem publicè representare ;  
Quod si plures sint in Tragœdia occisiones,  
illa in tali casu , narratori linquenda est ,  
quæ præcipua putatur , & quando vide-  
bitur jàm satis pietatem , miserationem ,  
& lacrymas motas esse in populo adstante ;  
tunc licebit extrà mittere nocentem , qui  
remanet , ut publicè semetipsum occidat,  
aut ab alio occidatur , ut egregiè fecit in  
sua *Orbeche* Gyraldus noster , in hoc imi-  
tatus exempla antiquorum scriptorum ;  
sicquè fecit Clariss. Petr. Cornelius in suis  
Tragœd. , & Thomas , & Racine cum aliis  
illustribus Gallis Poetis .

Et hic notari debet , mortem scelesti  
hominis in Tragœdia semper intùs , & ex-  
trà Scenam accidere debere , quia tales mor-  
tes non excitant pietatem , & miserationem ,  
ob Justitiam , quæ vult tales im-  
pios punitos ; sufficit autèm , Auditores ,



eorum voces ultimas audire, aut historiam mortis intelligere ab aliquo nuncio, quapropter Lambinus super Horat. ait, quedam nimis atrocita, aut horribilia, aut visu feda, aut incredibilia, non esse coram agenda, sed ea satis est ab histrione, quasi intus acta sint renuntiari, & hoc modo misericordiam commovent, aut terrorem animis inferunt; Hinc valde miratur Gyraldus noster ob Senecam, qui longe à precepto Venusini in sua Medea se tulit, tanto magis, quia ipse Aristoteles non comendavit Euripidem in tali actione; Ut verò Tragoedia sit apta ad movendam pietatem, debet casus tragicus cadere in viros in parte bonos, & in parte reos, & ut ait Piccolominus in illos, qui stant in medio vitii, & virtutis, de quibus agit noster Gyraldus; Inter Tragoedias sanè primam sedem habet Œdipus Sophoclis juxta Aristotelem, quia Œdipus querens punire illum, qui patrem occiderat, & timens se comisceri cum Matre; dum castigationem parat nocenti, & dum modum querit evitandi alium errorem, invenit, se esse illum, qui

in



in tàm enormia delicta prolapsus fuit ; unde id quod illi accidit , multam comiserationem obtinuit , nàm ille , qui talia flagitia abominabatur , incautè in ea incidit , dùm pœnam nocenti parabat ; Optimè igitur ait Aristoteles , illud idoneum esse ad Tragœdiam , qui nec per virtutem , nec per justitiam , nec per vitium , cum sit in statu fœlici , ac tranquillo , de repente incidat in ærumnam , non voluntariè , & malitiosè , sed potiùs imprudentè , ac inconsideratè , exemplo Œdipi , & Thiestis .

Non tantùm igitur delectationem , sed utilitatem à Tragœdia , ut suprà dixi spectatores hauriunt , cùm enim respiciunt aliorum exempla , veluti speculum proprię fortune , & actionis , discunt correctionem morum , ab illis , qui in Scena representantur ; sicquè Theatrum , teste Doctiss: Ludov. Ant. Muratorio lib. 3. poet. ital. , evadit delectabile gymnasium bonorum morum , & amabilis Cathedra moralis lectionis , debet enim longè ire ab hilaritate , ut monuit in Poet. Clariss. Franc. Dini . Tragœdiæ verò pulcherrimę compo-



fitio, ut ait Aristoteles in Poet., non debet esse simplex, sed implexa, & terribilium, & miserabilium immitatrix; unde eodem suadente Aristotele, Tragœdia melior est, & multò perfectiùs Epopeia finem suum assequitur; Quodnam autem Tragœdiæ genus laudabilius sit, num scilicet quod lætum habeat finem, an verò quod mœstum, & miserandum, idest, an melior sit Tragœdia ad lætitiā, quàm Tragœdia ad mœrorem; breviter quod sentio exponam.

Duo videntur esse textus Aristotelis, in quibus precipuè judicat de Tragœdiarum dignitate; in uno docet, Tragœdias ad mœrorem, idest exitus infœlicis, pulcherrimas esse, in alio verò, optimam vult esse illam Tragœdiam, in quā atrocitas non consumatur, nequè perficitur, sed impeditur cum exequi deberet; Verum si attentè consideretur cum Clariss. Crescimbenio finis Tragœdiæ, qui ut suprà dixi, est purgare humanos affectus medio timoris, & pietatis capte à miserabilibus aliorum casibus, per consequens dicendum erit,



erit , Tragoediam finis infœlicis , & mœ-  
sti potiozem esse Tragoedia læti finis , quia  
dolor , & mœstitia imprimunt atrocitatem  
actus representati in spectatorum ideam ,  
cùm qua isti discedunt à Theatro , & sic  
animus humanus melius purgatur , quod  
sane non accideret , si lætum finem habe-  
ret Tragoedia , quia Gaudium de facili ex-  
pellit terrorem , per quem animi purga-  
tio derivat ; adeoque optimè ait Paul. Be-  
ni supèr Poetic. optimam esse illam Tra-  
goediam , quæ ex fœlicitate in infœlicita-  
tem mutat humanam fortunam , sic Œdi-  
pus qui Rex erat , ac fœlix reputabatur ,  
verè à fœlicitate migravit ad infœlicem sta-  
tum , dùm Regnum in exilium mutavit ,  
ac cæcitatem , cujus Œdipi Tragoedia ab  
Aristotele omnibus aliis Tragoediis ante-  
ponitur : Non per hoc autèm dicitur , Tra-  
goediam illam malam esse , quæ non tam  
atroces casus in se contineat , videmus  
enim , Aristotelem comendare Iphigeniam  
in Tauris , quæ absquè dubio crudelitèr  
incipit , sed intercedente agnitione muta-  
tur ; sic paritèr valdè comendabilis aparet



Meropes Illustrissimi D. Marchionis Scipionis Maffei Poetæ eruditiss. hoc Anno 1714. Venetiis tanta fama , & plausu publicè ad multas vices representata , licèt extincto Tyranno Polifonte lætum finem agnoscat , Filius .n. Meropis evasus à mortis periculo de repente ad Paterni Regni Fortunam evehitur ; Duas autèm esse partes Tragoediæ , ait Paulus Beni in Aristot. Poetic. , nempè nexum , & solutionem , quibus addendæ sunt Inventio , Dispositio , & Elocutio , quæ omnia si ritè , & juxtà regulas Aristotelis exerceantur à Poeta , procul dubio bona habebitur Tragoedia ; oportet siquidem , ut docet Petr. Victorius , Poetam curare , ut præditus sit facultate præclarè tractandi omnes illas partes , omnesque coagmentationes , & diversas species fabularum , ut cùm opus sit , valeat egregiè mores exprimere , & argumentum , in quò præsertim requiratur industria Poetæ , cùm laude exequi , & res luctuosas , in quibus existunt vehementes motus animorum , eximiè itidem conficere ; uti antiquis Temporibus fecerunt Sopho-



phocles , & Euripides , atquè alii plures  
Tragœdiarum Magistri tùm Græci , tùm  
Latini , nec non recentioribus Sæculis ita-  
li nostri , qui cothurnos æquè benè , ac Græ-  
ci , & Latini , tractaverunt fœlici Musa-  
rum comertio , prospero eventu , & plau-  
dente Fortuna ; hujusmodi fuere Trissinus  
in Sophonisba , Tassus in Torismondo ,  
Gyraldus in Orbeche &c. , Bonarellus in  
Solimano , Campegius in Tancrede , Spe-  
ronius in Canace , Co: Dottori in Aristo-  
demo , & nuperimè suprà citatus Marchio  
Maffei in Merope , & Petrus Jacobus  
Martellus Bononiensis in Proculo , atquè  
aliis Tragœdiis nova Italicorum carminum  
specie exaratis , in quibus summa Autoris  
peritia elucet . Obiter autèm notandum  
cum Mart. del Rio , Poetam curare sum-  
moperè debere , ut totius Tragœdiæ perio-  
dus , sit actio unius potissimum Diei , vel  
paulo plus , minusvè , & Aristoteles hoc  
disertè præcipit , & veteres omnes facti-  
tarunt , undè Æschilus , teste Suida , re-  
prehensus fuit , quia Niobem triduò exi-  
buerit ; in quinque porrò actus dividi de-  
bet



bet Tragœdia ex Venusini præcepto

*Neve minor, neu sit quinto productior actu.*

& isti actus sunt quasi singula Tragœdiæ membra, quibus singulatim partes illius exhibentur; Hinc patet unumquemque actum partem aliquam fabulæ absolvere debere, ita tamèn, ut à præcedente subsequens quodamodò trahatur, utquè res non dissipata, ac disiuncta, sed aptè distributa videatur; cur autèm quinque tantùm sint actus Tragœdiæ, causam referendam esse in Poetis, ait Donatus in Poet. lib. 2., quibus scilicèt talis partitio placuit; nisi potius isti per quinque actus fortasse, hominum vitam adumbrare voluissent, quæ scitè admodum comparatur cùm fabula, undè rectè Apulejus de comico Poeta, qui daturus in Theatro fabulam repente interierat, *renunciavere*, inquit, *Philemonem Poetam jam domi veram fabulam consummasse*; Vita enim hominis antiqua divisione in quinque partitur ætates; Per hoc autèm non nego, posse etiàm fieri bonam Tragœdiam ex tribus Actibus tantùm; dumodò sit juxtà præcepta Aristotelis conflata;



flata ; An autem Tragœdia soluta oratione, an verò metro sit conficienda quærent aliqui, ad quod respondet Gyraldus, Tragœdias, & Comœdias versibus esse exarandas, ad hoc, ut laudabiliter compositz appareant. Plura de Tragœdia cupienti dabit Illustriss. Crescimbenius Domin. meus semper colendus.

## C A P U T VI.

### *De Genio, & Laribus.*

**G**enius à gignendo sic nuncupatur, quia nobiscum gignitur, vel nos genitos suscipit, & tuetur, unde natalis Deus dicitur ab Illustriss., & Reverendiss. D. Phil. à Turre Adriæ. Episcopo digniss. ; A multis vocatur Deus naturæ, sic genio indulgere, geniumque defraudare passim dicitur ; Antiqui duos Genios unicuique tribuere ; Bonum nempe, & Malum ; Primus qui ad opera bona hortabatur, secundus qui ad mala concitabat ; Ità Censorinus de die natali, ait :

*Ge-*



*Genius est Deus , cujus in tutela , ut quisque natus est , vivit , qui ab utero matris exceptum ad extremum vitæ diem comitatur . Hunc autem Deum placare erant soliti Antiqui Gentiles floribus , & vino , undè Horatius canit*

*..... Sylvanum lacte piabant*

*Floribus , & vino Genium .....*

*Aùt juxtà Tibullum lib. 4. Thure*

*Magne Genj , cape thura libens , votisque faveto .*

*Insupèr erat , & loci Genius , cui sacra reduces faciebant , ut esset propitius ; Ità Virgilius de Ænea Italiam ingresso ait*

*..... Frondenti tempora myrto*

*Implicat , & geniumq; loci , primamq; Deorū Tellurem , Nymphasque , & adhuc ignota precatur*

*Numina .....*

*& Calphurnius Poeta antiquus cecinit*

*Pone focum , Geniumque loci , Faunumque , Laremque*

*Salso farre voca .....*

*Fuit quippe è disciplina veterum , ut cole-  
rent Deum loci , ad quem accederent , &  
hunc*



hunc vocavisse Genium Loci, ait Lacerda  
sup. Virgil.

Jurare paritèr per Genium Cæsaris, vel  
Principis maximum juramenti genus erat  
apud veteres Gentiles; sic Tertullianus in  
Apolog. scripsit: *citius apud vos per omnes  
Deos, quàm per unum Genium Cæsaris peie-  
ratur*; undè Minutius Fœlix in Octavio  
paritèr ait: *tutius est per Jovis Genium pe-  
jerare, quàm Regis*, & rationem assignat  
Woverus in not. ad cit. Autor., quia pe-  
jerantes per Deos non puniebantur, at per  
Principis Genium fustibus castigabantur;  
ut etiàm monuit Lipsius ad Tacit., & El-  
menorstius supèr Minut. Fœl.

Relicto autèm Genio, ad Lares me con-  
verto, qui erant Dii Domestici ex Mercu-  
rio, & Lara Nympha geniti, de qua ge-  
neratione vid. Mithologi; Methonymicè  
prò Domo ipsa sumuntur, & ab Auto-  
ribus usurpantur; Apud Plautum fami-  
liaris est Lar, qui certæ Domui, ac fa-  
miliæ preest. De Laribus intelligit Ovi-  
dius, in lib. 2. Fastor.

..... *qui compita servant,*

*Et*



*Et vigilant nostra semper in urbe Lares.*  
 istis Diis discedentes vale dicebant anti-  
 qui, & revertentes eos paritèr salutabant,  
 & adorabant, undè Terentius in Phorm.  
 act. 2. ait

*Deos Penates, hinc salutatum Domum di-  
 vertar.*

Laribus autèm vinum, & Thus offerre-  
 bantur ab Etnicis, & variis etiàm florum  
 coronis exornatos Lares ipsos fuisse monet  
 Hildebrandus, hinc Tibullus cecinit

*Rure puer verno primum de flore coronam*

*Fecit, & antiquis imposuit Laribus.*

& Juvenalis in Satyr. xii.

*Laribusque Paternis*

*Tbura dabo, atque omnes violæ jactabo  
 colores.*

Plura de hac rè legantur apud Carol. Pa-  
 scalium in suo pulcro opere de coronis, &  
 apud Illustriss. D. Com. Silvestrium in notis  
 ad Juvenal. egregiè exaratis.



## CAPUT VII.

## De Strenis .

**S**Trena , cujus meminit glossa in l. laudab. cod. de Advocatis , munus significat , quod Advocatis , & Amicis dabatur ; istarum autem origo , quæ fœlix annus ominabatur , ipsius auspicio , & initio à Tatio Rege manavit , si Adriano Turnebo fides habenda est , qui Rex primum Romuli hostis , deindè collega in Regno Romano fuit ; hoc , quia , & strenæ ne hoc quidem tempore exoleverunt literis mandare voluit , ut , & antiquitatem rei intelligat Lector , & sciat Authorem istius moris ; Hinc Symmachus in quadam epistola sic scribit ; *ab exortu urbis martiæ strenarum usus adolevit Tatii regis auctoritate , &c.* Aliqui strenas à Verbo strenuo derivare volunt , eo quod strenuis viris ob virtutem conveniebant ; Lipenius verò à Dea *Strenia* , sive *Strenua* Strenas derivatas esse dicit

Stre-



Strenæ Romanis , & Sabinis erant propriæ; Alia munera Principum , Persis cum reliquis orientalibus communes fuisse aiunt ; Istà vero certè de quibus Ælianus Xenia potius , quàm Strenæ erant , quæ dabantur prima Januarii die , Kalendis enim Januarii sacris litabant , & omnem Religionem renovabant , auguria capiebant , & ad Deorum pulvinaria ibant , multa animi submissione , sive rectiùs superstitione , ob tantam ergo istius diei religiositatem , strenæ distribuebantur , & tanta erat harum solemnitas , ut luctus publicus cessaret , de hoc enim narrat Ælius Spartianus , quod Ælius Verus prohibuerit , strenarum causa , ne Commodum mortuum circa Kalendas Januarii lugerent . Hac die novi *Coss* dicebantur annum aperire , annum designare , ac fastos resserare ; Istà autem munera , quæ sub strenarum nomine Amici , Amicis Kalendis Januarii nna cùm votis offerebant , adhuc perdurant , nostris enim temporibus ad Anni principium , salutem prò toto Anno præcantur , & strenam poscunt , ut vulgò dicitur *buona mano* ,



*no* , ò *sia mancia di Natale* ; undè apud Martin. Lipenium in suo lib. de Stren. Italos singulis annis in Kalendis Januarii strenas pueris , servis , & aliis , boni ominis gratia , exhibere , & munera hæc tradere solitos esse legitur ; imò institutis Bacchanalibus , choreas ducunt , saltant , personati per civitatem incedunt , convivia splendida parant , & quoquo modo infaniunt . Strenæ autem variæ antiquitus fuerunt ; primò scilicet herbacæ , postea in ære , argento , in auro signato , in annulis , in vestibus , in libris , in Vino , in avibus , in pateris , & in carminibus , & istæ carminum Strenæ poeticæ dicebantur , quarum exempla exhibet citatus Lipenius .

## C A P U T VIII.

*De usu Lucernarum ad Fenestras .*

**I**N publica lætitia , & in sacris Feriis appendere luminaria ad januas , & fenestras , usus est antiquissimus apud Hebræos , Græcos , Romanos , & Ægyptios ; sic Perſius



*Herodis venire dies , unctaque fenestra .*

*Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ .*  
 & hoc dicit , quasi esset vitiorum sui ævi  
 gravis castigatior , & sic Romanorum levi-  
 tatem arguit , qui se Judeorum superstitionibus obligaverant ; Hebræi siquidem in  
 suis Sabbatis talem lætitiā adhibebant ,  
 quem usum ab Ægyptiis acceperant ; He-  
 rodotus enim ait festum diem egisse Ægyptios  
 lucernis impositis , & à Græcis dice-  
 batur festum luminum ; huic usui allusisse  
 Juvenalem puto in Sat. 12. , dùm canit

*..... longos erexit janua ramos ,*  
*Et matutinis operatur festa lucernis .*  
 alii ità legunt

*Et matutinis operitur festa lucernis .*  
 supèr quem locum , ità scribit Lubinus :  
*Ex consuetudine hoc ait , Poeta , quæ in om-  
 ni publica , & privata lætitia receptum erat ,  
 januam ornari lauro , & lucernis .*  
 Ovidius in Epist.

*Undique collucent præcinctæ lampades auro .*  
 Seneca in Thyeste Act. 1.

*Ornetur altum columen , & lauro fores*  
*Lætæ virescant , dignus adventu tuo*  
 Splen-



*Splendescat ignis . . . . .*

Claudianus de Nupt. Honor.

*Plurima venturæ suspendunt lumina nocti.*

& Statius de Stellæ nuptiis lib. 1. Sylvar.

*Fronde virent postes, & fervent compita  
flammis.*

Mos autem iste appendendi fenestris luminaria apud Sinas in festis, & publica lætitia observatur, ut ait P. Mapheus lib. 6. histor. ind., his verbis; *Parietes, fornicesque, viridi fronde, micantibus rosis, & pretioso peristromate vestiuntur; Fragrant odoramentis, ac floribus viæ; accensis funalibus, ac laternis arbores, pergulae, fenestrae collucent, &c.;* Quin, & talis consuetudo apud veteres Christianos invaluit, teste D. Paulino Natal. S. Fœlicis 6. dùm canit

*Multi foresq; cavis lynceos laquearibus aptent,*

*Ut vibrent tremulas funalia pendula flamas.*

Viget pariter, & hic mos comendabilis apud nos, & vel ob adventum Principis, vel ob Summi Pontificis creationem, vel ob festum Sanctorum, super fenestras domorum noctis tempore apparent accensæ lampades in tali copia, ut totas illustrent



Plateas , ac illuminent Vias ; ità visum fuit ob festum Canonizationis nostræ Sanctæ Catharinæ Vigriæ Ferrarien. , Monialis Illustris Ordinis S. Claræ , dùm 22. Mensis Octobris Anni 1712. in Nocte , tota nostra hæc Civitas illuminata fuit , ità ut quælibet etiàm parva fenestella proprias haberet lampades ; adeòque nox illa clarior esset die ipso , atquè potest justè dici illud festum , & quò ad luminaria , & quò ad alia pomparum genera , singulare in nostra Urbe , saltem nostris temporibus.

## C A P U T IX.

### *De Fibulis .*

**F**ibulam dicit ornamentum cinguli ad subligandam vestem , tàm virilem , quàm uxoriam , in suo Lexico juridico Calvinus ; cujus mentionem facit Plinius , & Baysius ; moralitèr autèm Seneca dixit Fibulam imponere , prò eo quod est coercere , & reprimere ; hujus contrarium est laxare fibulam , hoc est ansam ministra-



strare , aut fenestram aperire ; undè Ter-  
tullianus de cor. milit. ait ; *ut etiam delictis*  
*fibulam laxet* ; Propriè verò loquendo fibu-  
la à verbo latino *fibo* derivat , vel à verbo  
*fibulo* , à findendo autèm fibulam dicit Sca-  
liger , quasi findat id quod perforat ; cer-  
tè autèm fibulare conjungere significat ,  
undè Columella lib. 1. ait *omnesque parietum,*  
*& soli juncturae testaceis pulvinis fibulantur.*  
Intelligit hìc autèm Columella de fibula ar-  
chitectonica, de quà Vitruvius lib. 1. tractat.,  
quæ cùm ferrea sit , tigna conjungit ; tria  
enim esse fibularum genera , ait Casalius  
nempè Architectonicam , Vestiariam , &  
Gymnasticam ; Vestiaria fibula , est pro-  
priè circulus , & ornamentum cinguli ad  
vestem subligandam , & hanc fuisse in nu-  
mero ornamentorum muliebrium inquit  
Prudentius

..... *crinalis acus , redimicula , vittæ ,*  
*Fibula , flameolum , strophium , diadema ,*  
*monile .*

Viris etiàm ornamentis fibulæ fuere in Pe-  
nulis , Clamide , Toga , Paludamentis , &  
Palio ; hodie talis est fibularum usus , ut



calceamenta etiàm stringant , & ornent .  
 Fibulæ porrò ex ferro , orichalcho , argento , auro , ære , ac gemmis ornate apparent , sic de ferrea mentionem agit Quintilianus lib. 6. , de Ænea Festus de verb. signif. his verbis : *propter æris usum antiquissimum fibulis* ; Argentea utebantur milites mediocris fortunæ teste Casalio , aurea fibula Aurelianus primus usus fuit ; & de hac Virgilius in 4. Æneid. cecinit

*Aurea purpuream subnectit fibula vestem .*  
 de Gemmata Imperatorum fibula meminit Trebel. Pollio in Gallieno ; *Gemmatiss fibulis , & aureis usus est .*

& Virgilius in 5. sui Poematis  
*..... lato quam circumplectitur auro*

*Balthæus , & tereti subnectit fibula gemma .*  
 Curiosa est Fibula , quæ Gymnastica à nonnullis dicitur , quæ Cantoribus , & Comædis præcipuè inserviebat ; hæc siquidem ponitur à Casali prò circulo æneo , quo virilia adolescentulorum solebant coerceri vocis conservandæ gratia , quæ ex Veneris usu asperior reddi solet ; undè Corn. Celsus de Re medic. lib. 7. ait : *Infibulare quoque*



quæ adolescentulos interdum vocis, interdum  
valetudinis causa, &c., de hac meminit Ju-  
venalis Sat. 6.

*Solvitur bis magno Comædi fibula, sunt quæ  
Chrysogonum cantare vetent.*

Paritèr Athletas, etiàm in Palestra pu-  
gnantes fibulam usurpavisse, docet Mar-  
tialis lib. 7. Epigr. 81.

*Dum ludit media populo spectante palestra,*

*Delapsa est misero fibula .....*

de quibusdam fibulis inventis ad venereum  
concubitus impediendum ab Antiquis Ze-  
lotypia correptis, quibus mulierum puden-  
da coercebantur, mentionem facit Henr.  
Salmutus in not. ad Pancirollum; quem  
usum etiàm memorat Martialis lib. 14.;  
hìc autèm immorari nolo, dùm res est pa-  
rùm honesta.



## CAPUT X.

*De Analectis , & Lictoribus .*

**A** Nalecta sunt reliquie , quæ cadunt è mensa , dùm comeditur , ità suadentibus Turnebo , Stephano , Calvino , & aliis ; quæ in solemni , lautoque convivio in terram decidunt , & propriè sunt Quisquiliæ Ciborum , quas tollere nefas erat , cùm Amicis defunctis , atquè Heroibus essent consecratæ , undè , & peculiare apud Ethnicos sacrificium fuisse legimus dictum Protervia , in quò igne consumebatur quidquid ex epulis superfuisset ; & ità debere intelligi elegantem illum locum Catonis apud Macrobiū , ait Hildebrandus , nàm cùm quidam nomine Q. Albidius sua bona comedisset , & novissimè domum , quæ ei reliqua erat , incendio perdidisset , *Proterviam* eum fecisse dicebat Cato , quod comesse non potuerit , id combussisse . Analectæ autem servi dicebantur , qui reliquias cenæ , aut ea , quæ ceciderant  
de



de mensa colligere solebant, ut legitur in lexic. Juridico. Præterea Analectæ suadente Jos. Laurentio etiã illi dicebantur, qui lectione multa exercitati memorię essent firmissimę, ut quidquid legerint, & audierint scirent; Liçtores verò in historia Romana illi servi erant, qui fasces virgarum ligatos cùm securibus Magistratui præferebant, ejusquẽ jussu delinquentibus plagas ingerebant; istis usi sunt Magistratus majores, qui potestatem, ac imperium habuere; Liçtorum porrò munus erat, ut populum summovent, fontes virgis cæderent, & securi ferirent; differunt autem à Carnifice, per hoc, quod Liçtor tantum in Cives romanos agebat, perduellesquẽ virgis, & securi more majorum percutiebat: Carnifex autem crucifigebat, strangulabat gullam frangebat, & alia supplicia servis, peregrinis, & illis, qui Cives non erant romani, irrogabant; & hanc distinctionem Liçtoris à Carnifice exhibet Poletus in hist. for. rom. lib. 5. cap. 14. Plura de Liçtoribus dabit Lipsius in Elect., & Illm̃us D. Anto. Bombardinus in lib. eruditiss. de carcere.

A D.



ADVERSARIORUM  
JOSEPHI LANZONI  
LIBER TERTIUS.

AD ILLUSTRISSIMUM  
D. SEBASTIANUM  
ROTARIUM

*Medicinę Doctorem Veronensem eruditiss.*

---

CAPUT I.

*De Juramentis.*



uramentum affirmatio est, vel negatio, sacre rei assertionem, vel attestationem firmata, ut tum maximè jurare dicamur, cum Deum invocamus testem; & hoc multiplex est, Voluntarium, & fiebat absente Judice, quando pars parti defererebat juramentum; Aliud dicitur ex conven-



ventionem. Tertium est necessarium, de quibus Juriste consulantur, sicuti de juramento affectionis, hoc est in litem jurare; De juramento Calumniæ mentionem faciunt Doctores, quod juramentum præstatur de bona conscientia, suæque causæ bonitate, quàm quis opinatur, & dicebatur olim, quod litigatoribus ità deferebatur, ut actores quidem jurarent, se non calumniæ causa litem intendere; erat etiàm aliud juramenti genus, nempe per depositam pecuniam, de quo meminit Alex. ab Alexand. lib. 6. Gen. dier. cap. 4., & hoc erat, ut si quis peteret quod inficiaretur, dubia argumentorum fide, ambo, petitor, & reus, æreos quingentos apud Pontificem deponerent, quod juramentum dicebatur, & demum re discussa victor pro quò staret juditium, nummos reciperet, victi verò ad ærarium ferebantur.

Notat autem Poletus calumniæ juramentum, de quò paulò ante, sublatum fuisse propter periurii metum, cum ex philautia ferè semper plus æquo suæ causæ favent litigantes.

Pon.



Pontificibus Gentilium non licuisse jurare per Liberos, sed per Deos, ait Alex. ab Alexand. lib. 2. cap. 8.

Judices jurare solitos fuisse in leges advertit Ascon. Pedianus in 2. in Verrem, antè quàm judicarent; idemquè affirmat And. Tiraquellus in not. ad Alexand.

De juramento Magistratum meminit Cor. Tacitus, inhibitum enim fuerat olim prò Magistratu aliquid agere, nisi priùs sacramento adactum esset, quod ideò cautum ferunt, ne spe, & cupiditate improba honores assumerent, jurabant enim apud Consulem solemne jusiurandum per Deos; postea ut in acta Principum jurarent Cæsarium temporibus servatum est.

Varias, & curiosas jurandi formulas apud Antiquos, refert Alexand. ab Alex. lib. 5., ut per terram, per amnes, per fontes, per undas fluentes, quod sanctissimum juramentum fuisse Græcorum veteres credere, ut videre est apud Plutarcum in vita Demostenis; de juramento per regium Sceptrum meminit Homerus lib. 1. Illiad.

..... *super magnum jusiurandum juro.*

*Cer-*



*Certè per hoc Sceptum . . . . .*

Athenienses per Isidem jurabant , & The-  
bæi per Osiridem in nubibus existentem ,  
teste Diodoro lib. 1. Scitas per Ventum ju-  
ravisse monet Lucianus ; Traces per Mer-  
curium juravisse , ait Herodotus lib. 5. Per-  
fas per Solem , teste Æliano ; Ægyptios per  
alium , porrum , & cæpas , velut per Nu-  
mina , undè Juvenalis Sat. 15.

*Porrum , & cæpæ nefas violare , ac frangere  
morsu ;*

*O sanctas gentes , quibus hæc nascuntur  
in hortis*

*Numina . . . . .*

Zenonem per Capparim sua juramenta fe-  
cisse , ait Laertius ; De juramento Jonum per  
Crambem meminit Athenæus ; Socrates per  
Canem , & per Platanum Tertullianus , La-  
ctantius , ac Philostratus meminere ; So-  
phocles per Castorem , & Polucem jura-  
bat si Straboni credamus ; Ætyopes per  
Defunctos suos , quorum corpora vitro ser-  
vabant juravisse , ait Alexand. ab Alex.  
Frequens apud Romanos juramentum erat  
per Deos , per Cælum , & Terram , Sy-  
dera ,



dera , ac mare , per Genium Principis , de quo suprà ; per caput suum , &c. , de quibus plura cupienti dabit cit. Alexander. lib. 5. cap. 10. Solummodò nequeo præterire curiosam jurandi Romanorum formulam à Livio relatam in Dec. 3. lib. 2. , ubi de Scipione ait , quod cùm in hospitium Metelli venisset , & cùm concilium ibi juvenum invenisset , stricto supèr capita consultantium gladio ; Ex mei animi sententia , inquit , juro , ut ego Rempublicam non deferam , nequè alium Civem romanum deferere patiar ; si sciens fallo , tùm me Jupiter Opt: Max. , domum , familiam , remque meam pessimo Letho afficiat . Notandum porrò soli Flamini jurare non licuisse , ut testantur Fest. Pompejus , Plutare. , & Livius . Censorum autèm munus apud Romanos varium cum esset , ità circà morum disciplinam versabatur , & præsertim in cohibendo epularum sumptu , in perjuriis castigandis , atquè in cognoscendis juramentis ; notat enim Gellius juramenti cognoscendi jus ad Consulum Magistratum spectavisse ; Quomodò autèm  
jura-



jurarent Milites , & quomodò veteres  
solerent jurare totius Exercitus nomine ,  
docet in lib. 1. cap. 20. Gen. Dier. Alexand.  
ab Alex. , & post eum Tiraquell.

De modo jurandi tactis aris , meminit  
Horatius

*Jurandaſq; tuum per nomen ponimus aras .*

Jurare in alteriùs pernitiem , & jurare in  
leges alteriùs , confuevere veteres ; de pri-  
mò Ovidius in Epistol.

*In me jurarunt ſomnus , ventuſq; fideſque ;*  
de altero Plinius de vir. illuſtrib. meminit :  
*Aqua , & igni interdixit , ei qui in leges ſuas*  
*non juraffet ,* Similitèr jurabant in verba al-  
teriùs , de quò juramento loquitur Livius :  
*Citati milites nominatim apud Tribunos mili-*  
*tum in verba P. Scipionis jurarunt , & nunc*  
*etiàm dicitur jurare in verba Magiſtri , de*  
*eis , qui clauſis oculis aliorum opiniones*  
*ſequuntur .*

Nunc , relictis Etnicorum juramentis ,  
aliquid de juramento Chriſtianorum deli-  
bandum eſt . Jurare enim Chriſtianè ſum-  
ptum , ut ait Ambroſ. ad Valent. Imper.  
*eſt ejus quem teſtare fidei , præſulem Divinam*  
*poten-*



*potentiam confiteri* ; vel clariùs est invocatio divini nominis in testimonium alicujus rei ; ut inquit Paul. Layman. Spontè autèm, & sinè necessitate jurare, vel falsum jurare peccatum est, juxtà Lombardum, ex necessitate autèm jurare, vel ad asserendam innocentiam, vel ad pacis fœdera confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus, quod eis utile est, malum non esse, ait cit. Lombard. In primitiva verò Ecclesia per altaria, Evangelium, reliquias Martyrum jurari legimus, sic apud Reginon. Thessilo per Corpus Dionysii, Germani, & Martini juravit. Apud S. Petrum Damianum Wido Archiepis. ad S. Altare juravit, & Arnulphus manu supèr S. Evangelium posita juravit : *sic me Deus adjuvet, & ista S. Evangelia* ; Clerum etiàm suum tactis S. S. Evangeliiis jurare fecit, ut hodie apud nos etiàm fit ; immò sæpè tacta qualibet pagina Notariorum, jurare nos dicimus ; & Sacerdotes apud nos jurant tacto pectore sacerdotali.

Eduardus Rex Angl. autore Arndio, in suo lexic. jurare solebat per Deum, & Matrem



trem ejus ; Apud Gregor. lib. 5. Epist. 33. hæc jurandi formula legitur *Juro per Patrem , & Fil. , & Sp. Sanct. , & Corpus B. Apollinaris Martyr.*

Concil. Eliberit. can. 52. vetavit , ne Pueri antè annos 14. jurare cogantur , & Concil. Tribur. de controversia intèr Laicum , & Presbyterum , ait „ Laicus per „ juramentum si necesse sit expurgetur ; „ Presbyter autèm vicè juramenti per „ S. Consecrationem interrogetur , quia „ Sacerdotes ex levi causa jurare non debent .

Cuspinianus refert , Othonem Magnum Imperatorem more veterum Germanorum , barbam in pectus promissam gestare sole- re , & per eandem , si quandò seriò loquebatur , jurare .



## CAPUT II.

## De Tabaco.

**A** Brasilianis, juxtà Tevetum, Tabacum vocatur *Petum*; ab Americanis dicitur *Petick*; ab Hispanis *Nicotiana* nuncupatur à Jo: Nicot. ; qui temporibus nostrorum Avorum hanc plantam primò tulit in Gallias, quàm Reginæ donavit, undè à multis dicitur *Erba Regina*; hoc accidit autèm anno Sal. nostræ 1559.

Ideòque Maximilianus Zavona Tabacum etiàm nomen ferre ait herbæ Caterinariæ à Reginæ nomine, vel Mediceæ; eo quod Catherina Medices nuncuparetur.

Dodoneus vocat hanc plantam Hiosquium Peruvianum, Camerarius dicit plantam indicam vulnerariam, & Lugdunenses in Gallia Buglossam antarticam vocant.

Tandem aliqui, dicunt Tabaci plantam, Panaceam, Lanam sanctam, Piperinam, Petebecenæm, alii Onosmion Æginetæ, & Anguelmoisinem, & Uppovochum;

In.



Insupèr acquisivit nomen herbæ Sanctæ Crucis per hoc , quod Prosperus Sancta Crux Sedis Apostolicæ Legatus apud Lusitanos , eam tulit primus Romam , teste Clariss. nostro Aloysio à Fabra in Diff. de Peto.

Dicitur verò Tabacum , à *Tabac* insula Floridæ , ut monet. C. Hoffman. Primus in Europam semen ejus detulit Thevetus , in Lusitaniam misit Franc. Hernandez , sicut in Hispaniam ; in Angliam primus Tabaci semen contulit Franc. Draeck Anglicus argonauta .

Quatuor sunt ejus differentiæ, juxtà Mangenum de Tabac. , nempe Masculum , & Fœminam , minus , & Tabacum Arabicum ; de quibus differentiis legatur citat. Mangenus ; De hujus plantæ descriptione concinna legi possunt apud Monard. , Schroder , Bavhin. , Neander , Alstedium , Radium , & Mangetum in sua Bibliot. Pharmaceut. lib. 19. Hic notandum , apud Indos perpetui viroris esse Tabacum , in Europa verò non itèm , & licèt hanc plantam siccitatem magnam , hoc est particulas Salino-



Sulphureas habere putetur, attamen, ipsam aqua gaudere certum est; Zenonem, pulveris Tabaci ignarum, ut pararet mentem ad studia Eleborum pulverizatum per nares assumpsisse notat cum Gellio Illustris. D. Ant. Maria Salvinus in Academ. Sermon., qui inter laudes datas pulveri nicotianæ, ait istum Amicitiam conciliare, & ad instar Vini lætities humano generi afferre; cujus Tabaci dotes poeticè exartas, suavis musa Clariss. D. Hieronymi Baruffaldi Amici mei carissimi, omnique virtutum genere instructi, dabit in suo Dityrambo de Tabaco.

Fumum Nicotianæ accensæ per tubum in os attractum, cujus frequens est hodie usus, vel potius abusus, aliqui damnant, inquit enim Hoffmannus, se vidisse cadavera, quorum capita dissecta exhibere cerebrum interiùs nigri coloris; quod idem affirmat D. Boucheret apud Rajum; Alii verò hunc usum laudant, quatenus lympham excrementitiam ellicit, & catharos exsiccat, undè evacuatis oris, ac faucium glandulis, dentium dolori, & capitis grave-

ve-



vedini auxiliatur, insupèr aiunt aliqui ventriculum corroborare, concoctionem promoverè, & aluum lenitèr solvere, quod, an sit verùm, fides sit penes eos; certè tamèn scio, multos esse, qui ad longum tempus tali fumo utuntur, & nullum sentiendo nocumentum, vitam longam protrahunt fani;

Foliorum pulvis naribus attractus, qui mos in nostra Italia usitatissimus est, vires addit, animum auget, & ad labores tùm animi, tùm corporis facilitèr tolerandos maximè facit, dummodò modus non excedatur, referente Hernandez; qui autor etiàm addit, pulverem hunc per nares assumentes, verbera, & cujusvis generis supplicia minimè sentire, quod ego nequaquàm concedo; Advertit autèm Zavona, omnes illos, qui potatores vini dicuntur, qui propriè, non ut vivant nati sunt, sed, ut bibant, celebres esse etiàm tabacarios, idest magnam hujus pulveris copiam assumere, & rationem addit ipse citatus Medicus, quia Tabacum assumptum sitim parit; ideòque aliqui putant pulverem taba-



ci non deonerare , sed potiùs caput onerare , & ità ipsum cerebrum debilitare , unum cum aliis sensibus , adeòque mortem accelerare dixit citat. Zavona pag. 49. , immo nonnulli ex Peto oleum parant , quod est validissimum venenum , ut testatur Dom. Redi , & post illum Ego in meo de Venenis Tractatu non dùm impresso .

Licet verò tot damna ex ab usu Nicotianæ oriantur ; attamen , sua affert juvamenta hæc nobilissima Planta humano generi ; Sic Folia sua viridia , contusa , & apposita sedare podagræ dolores , ait Rarius . Ad calculum abigendum aquam nicotianæ multum valere scribit Zacutus ; ad dentium Dolorem fugandum tabacum calcinatum in crucibulo valdè validum esse inquit in sua Bibliot. Pharmac. Clariss. Mangetus omni laude dignissimus .

Tabacum comendatur ad pestem , ad paralysem , ad diarheam , & testatur Anton. Recchus , fumum Tabaci in uterum inspiratum , in ejus suffocatione , mira præstare .

Lixivium Tabaci frequentèr adhibetur  
in



in Pfora , & Lepra pecudum , ac jumentorum ; cavendum tamèn , ne ad scabiem , & pediculos puerorum adhibeatur : scribitur enim in decur. 2. an. 4. Miscel. Curios. pag. 46. fœminam quandam prò capitis scabie , & profligandis pediculis , tabaci vulgaris pulverem butiro permixtum tribus filiolis ilinivisse , qui mox omnes in Vertiginem , & vomitiones incidere , cùm sudore , & animi deliquio , atquè per horas 24. veluti temulenti apparuerunt .

Mulierem Bononien. , ex nimia Tabaci masticatione , febris ardente correptam , cùm pravis symptomatibus , se vidisse testatur Dan. Angelus obs. 76. an. 8. decur. 1. Acad. Curios. ; Scroderus autèm ait , se vidisse quendam , qui mictionem nocturnam tabaci suffitù præcavit ; sicuti ex eodem suffitù Epilepsiam foveri exemplo notabili ostendit D. Schelamergus in Miscel. Cur. dec. 2. an. 7. obs. 196.

Quercetanus Syrupum Tabaci comendat in asthmate , quod remedium ego pluries proficuum expertus fui in praxi facienda , ob salem volatilem acerimum , quò



scatet Petum ; De succo recenti vulneribus foelicitèr instilato meminit Ettmulerus in Scrod. dilucid. Tabacum deniquè vino maceratum , si exhibeatur prava excitabit Symptomata , de quò plura in meo de Venenis Tractatu : De Tabaco sic cecinit suavis Musa Clariss. Francisci Arisi :

*Est nostræ exemplar vitæ , Bigate Tabacus ,  
Ut fumus perit , ut pulvis , & ut folium .*

### C A P U T III.

#### *De Esu Locustarum.*

**L**ocustarum Esu Judæis olim lex moisaica permisit, ut ex Levitico apparet, sic etiàm legimus apud S. Evangelistas Jo: Baptistam D. N. I. C. Præcurso-rem in Deserto Locustas manducavisse ; quod postea causa fuit , Scriptores disputare , an esus locustarum sit innocuus, vel an propriè Locustæ fuerint , an potius summitates Plantarum , an Pisces , &c. In præsentì capite nos aliquid de Locustarum esu dicamus . Cæl. Rhodig. lib. 28. Orienta-



talibus gratam esse locustam in cibum, ait. Diodorus Siculus scribit Ætiopes comedere locustas volantes ingenti fumo necatas, quæ ultrà valles in tanta copia decidunt, ut victum omni genti abundè præbeant; In ipsa Græcia idem cibus fuit in usu, teste Bocarto de Anim. S. Script. lib. 4. qui hoc probat textu Aristophanis Comici antiq. & Athænei lib. 4.

Pars quædam Ætyopum, ait Plinius; locustis vivit; itèm Solinus scribit Confines Mauritanix certo tempore Locustas terrestres legere, duratasque falsugine in præsidium vitæ solas habere; Dioscorides paritèr testatur, illas in usu fuisse prò cibo; Aliosque plures populos Locustis vesci refert Aldrovandus lib. 4. de insectis.

Cæterùm, quod tali cibo usus esset Jo: Baptista in Deserto asserunt D. Hieronym., Origenes, Hilarius, Augustinus, Corn. à Lapide, Bocartus, Natal. ab Alexandro, Bernard. Lamy, & alii plures; nec enim omne Locustarum genus Judæis interdicebatur, ut videre est in Levitico cap. 11., Talmudistæ autèm distinguunt intèr  
Lo.



Locustas, alias mundas, alias immundas  
ut notat Lamy.

Isidor. Pelusiota verò, & alii volunt  
Locustas Jo: Baptistæ fuisse summitates her-  
barum, ac foliorum, quibus vesceretur  
Prò locustis Beza accipit pyra sylvestria  
quæ à Columella vocantur agrestia pyra  
Alii referente Cornel. à Lapide, bellaria  
esse ex mele, & oleo confecta dicunt; Mul-  
ti esse Cancros marinos volunt; Alii esse  
quasdam herbas, quas vulgò rapuncula vo-  
cant, dixere. Gaza apud Aristotelem prò  
Locustis, quæ comeduntur, intelligit Squil-  
lam marinam, quæ secundum Ælianum  
est cicada marina, sive gammarus Colu-  
mellæ, verum cum S. Jo: Baptista longè  
à Mari esset in Deserto, perperam dicitur  
squillis enutritum fuisse; credo enim ego  
ut suprà dixi, verè Baptistam, animalia in-  
secta, quæ propriæ locustæ dicuntur, co-  
medisse, undè Prudentius canit

*Parum locustis, & favorum agrestium*

*Liquore pastum .....*

Et S. Mater Ecclesia

*Cui latex austum sociata pastum  
mella locustis.*

Plu.



Plura de hac re vid. Aldrovand. de insectis lib. 4.

## C A P U T IV.

### *De Horis.*

**H**Ora tempus significat, hoc est quamcunque temporis partem, sive diurnam, sive nocturnam; hinc quatuor Anni tempora hoc est, (*Ver, Hyems, Æstus, & Autumnus*) à nonnullis horas dicta fuisse, ait Rob. Stephanus.

Proprie verò sunt partes illæ temporis; in quas distinctus est dies; & istæ primò duodecim fuere institutæ, cujus ordinationis talem fuisse originem legitur. Quodam tempore Hermes Trismegistus, cum esset in Ægypto sacrum quoddam animal Serapi dicatum, quo in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per xii. horas diem dividi debere conjecit; & exindè hinc horarum numerus longo custoditus est tempore; postea in xxiiii. horas divisus fuit, asserente

Pli.



Plinio . De diei divisione ità Cenforinus ;  
*Dies partim naturalis , partim civilis , naturalis tempus est ab Oriente Sole , ad ejus Occasum , cui contrarium est Nox ab occasu Solis ad ejus ortum ; Civilis autem dies est , qui fit uno Cœli circuitu , quò verus dies , & nox continentur .*

Horæ autem erant antiquitus inequales, majores enim in Æstate , minores verò in Hyeme , quia dies æstivi longiores , hyemales breves; undè horologia etiàm incerta fuisse , ait Laurentius in Polymat. lib. 1. ; hinc Seneca ait ; *faciliùs intèr Philosophos , quàm intèr horologia conveniet .* Pulcherrimum est Martialis Epigramma in lib. 4. de horarum diei divisione ; quò rogat Euphemum Structorem mensæ Domitiani , ut ex suis carminibus , ea , quæ jocosa sunt ostendat Imperatori , tantum , cum cenaverit , ea verò , quæ sunt severiora antè cenam ; Sic Poeta

*Prima salutes , atq; altera continet hora*  
 undè patet ex hoc carmine primam , & secundam horam salutationibus fuisse destinatas , ut ait Illustriss. D. Patarolus in not. ad Orat. veter.

*Exer-*



*Exercet raucos tertia Causidicos.*

& hoc secundo versu ostendit Poeta , tertiam diei horam in litibus agitandis fuisse consumptam , ut & quartam .

*In quintam varios extendit Roma labores.*

hoc est Romani in varia opera quintam horam diurnam exercebant .

*Sexta quies lassis , septima finis erit.*

Quietem verò à laboribus usurpavisse horam sextam insumentes non omnes , ait Ramir. de Prado ; sed tantum lassos , qui velut interiungebant usquè ad septimam ; à septima in octavam hi lavabantur , quamvis in hoc epigrammate nulla lotionis fiat mentio ; attamen hic est versus.

*Sufficit in nonam nitidis octava palestris.*

Intelligunt hìc interpretes , ab octava in nonam palestris se exercuisse Romanos , quorum exercitationi aderant frequentes spectatores usquè ad nonam , quàm monebantur cenatum ire .

*Imperat extructos frangere nona toros.*

Explicat *frangere toros* Domitius , prò accubitu supèr toros ; accumbebant enim quandò cenabant .



Putat autem Ramir. de Prado, sextam horam, septimam, octavam, & hyeme nonam in lavatione consumi à diversis; Robustiores, vel qui in palestra postmodum se exercere volebant, vel curiosi palæstræ Spectatores sexta, & septima se lavabant, delicatiores octava, quia sexta, & septima nimis balnea calerent; Est autem nona hora velut indictio quedam cene, quæ monebat ministros, ut lectos sternerent, cenamque pararent, post nonam enim epulandum erat, ut testatur vetus Horatii commentator ad Od. 7. lib. 2. his verbis: *Romanorum consuetudo fuit, ut post nonam convivarentur*, sequitur Epigramma

*Hora libellorum decima est Eupheme meorum*

*Temperat ambrosias cum tua cura dapes,*

*Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar,*

*Ingentique tenet pocula parca manu;*

*Tunc admitte jocos, gressu timet ire licenti*

*Ad matutinum nostra Thalia Jovem.*

Horologia ad diem mensurandum, & horas distinguendas inventa sunt, cujus inventionis Autorem fuisse Anaximenem Messenium, ait Laurentius; talia Horolo-



logia à multis Clepsydræ vocabantur, quòd  
aquam intùs habebant inclusam, quæ ho-  
ræ notabantur; de quibus leg. Vitruvius.  
Quia verò ista Horologia plerumquè in fo-  
ro prostabant, Puerorum, ac Servorum  
munus erat horas observare, & numera-  
re, indequè nunciare, undè Juvenalis

*Quem dicat venisse Puer, quot nunciat horas.*  
& Martialis in lib. 8. Epigr. 67.

*Horas quinque puer nondū tibi nunciat, & tu*

*Jam conviva mihi Ceciliane venis.*

An verò tintinabulis horas indicarent horo-  
logia, tempore sequenti non negat Lauren-  
tius, sic idem Martialis cecinit

*Redde pilam sonat æs thermarum, ludere  
pergis;*

Habebant etiàm antiqui horologia excita-  
toria, ad juvenes excitandos, hodiè for-  
san *Svegliarini* dicuntur; undè Lucianus  
in Dialog. ait, *manè ad tintinabulum exper-  
gefactus*, &c. Erat etiàm horologium por-  
tatile, quod secum ferebant veteres Etni-  
ci, ad dignoscendas horas; & Vitruvius  
appellat talia Horologia, *viatoria pensilia*.  
Hodie elegantissima fiunt in Anglia, Gal-  
lia,



lia, &c. talia Horologia portatoria, ac caro pretio venduntur in nostra Italia.

## C A P U T V.

### *De Lacte in Viris.*

**Q**Uæstionem agitat Eruditus Casp. à Reies in suo Camp Elyf pag. mihi 574. an scilicèt lac in Viris, & Virginibus generari, ac in illorum mammis inveniri possit? Ego inpresentiarum tantumodò aliquid notabo de Viris, qui lacte per proprias mammas emisso, dulce sui spectaculum fecerunt.

Aristoteles concedere videtur per suctum frequentiore posse lac in Viris provenire, immò in lib. de Animal. ait, se vidisse in Viro tantùm lactis emulsum, ut caseus sit confectus; Vesalius in Anatom. non semel, sed pluries lac in Viris se conspexisse asserit; Alex. Benedictus ait, Syrum se quendam vidisse, cui filius infans mortua Matre supererat, & huic, ut famem vagientis pacaret, ubera admoveere sæpè solitum fuit.



fuisse , assiduequè suctu lacte manasse papillam , quò exinde filium nutrit ; sic multos fuisse homines , qui necessitate compulsi proprios filios lactavere , scribit Casp. à Reies ; De milite narrat Clariss. D. Joh. Ludovic. Hannemanus in Miscel. Cur. dec. 2. an. 5. , qui paritèr , mortua conjuge , infantem lactavit ; Sexagenarii lactantis historiam raram eruditè , refert in Append. Misc. Acad. Curios. an. 5. decur. 2. Excellentiss. , omniq; laude dignissimus D. Christ. Franciscus Paulinus Acad. Naturæ Curios. maximum Ornamentum , ac Lumen ; De pluribus Viris lacte præditis , atquè à Natura donatis , memini ego in meis Animadvers. pag 119.

Infantem primo mense lac è papillis red-  
dentem copiosum se observavisse , scripsit  
Cardanus lib. 12. de subtil. Insupèr Mar-  
cellus Donatus de homine refert , qui ex  
mammis lac in manifesta quantitate emit-  
tebat ; Et narrant qui novum Orbem lustra-  
runt , teste Andr. Laurentio in Anatomia  
Viros penè omnes maximam lactis copiam  
habere , qua filios enutriunt .



## CAPUT VI.

*De Vinculis diversis Antiquorum.*

**I**Ntèr veterum vincula , nonnulli numerant Reticula ad illaqueandas Feras, & capiendas Aves; Laqueus pedum *pedica* vocatur , de qua Poeta cecinit in Bucolic.

*Ut captam pedicis circumdat aranea muscam.*  
Boiæ dicebantur vincula quædam tam ferrea , quàm lignea velut juga bouum.

Capistra vincula erant , quibus ligabantur vites, & alia , undè Columella lib. 4. ait , *cum ad summum palum recta vitis extensa est capistro constringitur* . Immò à multis sumuntur pro capitis vinculis in equis, & jumentis , hinc Martialis ait

*Paret purpureis aper capistris .*

Panagron dicebatur rete piscatorum.

Numella ligneum erat vinculum , quò reorum pedes, & colla in rotunda foramina immittebantur , & ibidem constringebantur ; de quà ait Plaut. in Asin.

*Ner-*



*Nervos , catenas , carceres , numellas &c.*  
 Numella etiàm, teste Festo, genus est vinculi , quò quadrupedes alligantur , sic Varro lib. 2. rei rusticæ ait : *ut possint alligari levibus numellis .*

Catastæ nomine aliqui intelligunt compedem servilem, ut Persius inquit

*Capadocas rigida pingues pavisse Catasta.*  
 Alii volunt Catastam , esse locum , ubi venales Servi exponebantur ; undè Statius canit in Sylv.

*Non te barbaricæ versabant verna catastæ.*  
 Compedes , vincula propria sunt pedum ; Horatius Epod.

*Dura compede perustus crura.*  
 Catena vinculum est ferreum , quò vel Servos , vel captivos, vel animalia etiàm iretimus , ne effugiant ; Sic Silius italic. lib. 7.

*..... Arcta servari catena .*  
 & Horatius

*..... bunc tu compesce catena.*  
 Lorum dicebant veteres corrigiam , quæ ex corio vinculum est , sumebantur etiàm prò retinaculis Lora , & prò habenis ju-



mentorū , sic Ovid. in Metham. 2.

*Collajuga erumpunt , abruptaq; lora relin-  
quunt .*

Epidromes etiā dicebantur funiculi dis-  
currentes , quibus retia panduntur con-  
tracta , & contrahuntur expansa , authore  
Polluce , qui Epidromos , & Peridromos  
vocat . Manicæ , propriè manuum vincula  
sunt , undè in Psalm. habetur : *nobiles eo-  
rum in manicis ferreis .* Sic Virgilius canit  
*Ipse viro primus manicas , atq; arcta levare  
Vincula .....*

## C A P U T VII.

### *De Militaribus Pēnis .*

**D**Uplices videntur fuisse pēnē milita-  
res apud antiquos , leviores nempè ,  
& acerbiores ; lenis fuit animadver-  
sio , quæ tantum inferebat ignominiam ;  
& hæc multiplex fuit ; I. Per mutationem  
militiæ , quod erat ab honestiore loco , in  
humiliorem transferri ; II. Cum venam  
solvi militi reo jubebant , & sanguinem  
mit-



mitti; III. Cùm fossam ferre, exercitu inspiciente, miles cogeretur. IV. Cùm hastam dare cogebatur, & hæc pœna dicebatur *Censio hastaria*. V. Cùm miles reus stans, cibum, & potum sumere coactus erat, quod tamèn intelligendum de cœna, nam in prandio usitatum erat stare. VI. Detractio calcei nota erat infamiæ, ac militaris ignominia; paritèr discincto, & habitu turpi prostitui, apud milites antiquos pœna fuit. VII. Lævitèr quoquè puniebant militem veteres Romani, cùm extrà castrum, aut vallum miles tendere jubebatur, interdum, & sinè tentoriis. VIII. Cùm stipendium subtrahebatur, qui milites *ære diruti* dicebantur, & *æs resignatum* militi dicebatur, teste Hildebrando, cùm ob delictum, ne stipendium illi daretur, in tabulas erat relatum, atquè ita puniebatur miles tardus, & infrequens, qui abesset, aut abfuisset à Signis. IX. tandèm levi pœna mulctabatur miles cùm hordeum prò tritico illi dabatur, ut indignus videretur militum cibo.

Gravior verò castigatio multiplex pari-



tèr fuit, ut fustigatio, cùm Tribunus ipse Reum condemnatum levitèr tangebatur, & quasi signo dato, reliquæ multitudini militari, obijciebat, quò factò, omnes, qui in castris erant ferientes, alius fustibus, alius lapidibus in ipsis castrorum principiis hominem occidebant, & ità puniebantur illi milites, qui vigilias, aut circuitiones neglexissent, vel qui furto aliquid è castris abstulissent, vel falsum testimonium dixissent, aut si qui falso strenuum aliquod factum suum honoris, præmiique causâ, ad Tribunos retulissent; qui ter ob eandem culpam mulctati fuissent; vel tandèm qui in præsidio, aut statione positi per metum deseruissent locum, aut arma in discrimine abiecissent, & isti dicti erant infames; Hodie fustigatio ista apud milites viget, sed non ad mortem, & vulgò dicitur *passar per le bacchette*. Quod autèm si plures peccassent, & multi simul locum deseruissent, tunc fiebat decimatio, quâ scilicèt decimus quisque sortè ad supplicium legebatur, interdùm Vicesimatio, & Centesimatio in usu fuit. Aliquandò miles, qui  
de.



deliquerat sub furca diù cēsus virgis manebat ; Alii prætereà securi percutiebantur ; & loco securis gladius fuit introductus ; alii deniquè in Crucem sublati sunt , quod supplicii genus non civium , sed propriè fervorum erat , undè servi fugitivi , qui Crucem meruere , Cruciferi dicti sunt , & in signum ignominiaē crucis signum in Veste ferebant ; Crux autèm modò in pœnis reorum non est ampliùs , abolitum enim hoc supplicii genus fuit à Constantino Imperatore , ubi enim Domini Crux honorata est , putatum fuit , quod reus honoraretur , si crucifigeretur .

## C A P U T VIII.

### *De Veteri tondendi ritu.*

**H** Erodotus lib. 4. , scribit , Machiles occiput crinitum gestare tonsa anteriori parte ; Sic Maxies Aphricæ populi dextram capitis partem comatam gestant , sinistram autèm tondent ; Ità Strabo ait Anses anteriorem partem crinitam



habent, occiput verò tonsum.

Svetonius, Caligulam, ait pulchros, & comatos crines habentes, sæpè offendisse, & prè invidia occipitio raso solitum fuisse deturpare.

Leges XII. Tabularum prohibebant, referente Plinio, Genas fœminis radi; immò addit Romanos 454. annis intonsos fuisse, donec adducente P. Ticinio ex Sicilia tonsores venerint ad Romanos.

Macas, ait Jo. Ravis. Textor in Officina, summum capitis verticem radere, in medio capillos crescere sinentes, hinc, atquè hinc in orbem, & Abantes, anteriorem capitis partem tondere consuevisse, ne ullas hostibus ad capiendum anfas darent.

Mentum autèm radere Alexandri temporibus in Græcia inventum fuisse inquit Athenæus lib. 13.

Sabinorum Sacerdotes Æneo cultro tonderi solitos fuisse legitur; Scitas ob calamitates comas deposuisse, ait Athenæus; & apud Indos comam tonderi jussu Regis maximi supplicii loco fuisse notat Stobeus.

Apud



Apud Lacedemonios ingenui alebant comam, namquē omnes comati erant, cum Servos crines habere non deceret; idemquē in omni ferē Græcia, ubi Servis nutrire comam nefas erat, in usu fuit.

## C A P U T IX.

### *De Nudipedalibus, & Furca.*

**N**udipedalia Festa erant apud Gentiles, Græcos, Romanos, & Barbaros, in quibus nudis pedibus oportebat omnes incedere; de quibus loqui videtur Tertullianus in Apolog., & instituta fuere, ut terra arrescente pluviae impetrarentur; & etiā talia Festa Judæis fuisse propria inquit Flau. Josephus lib. 1. Bel. judaic. Hæc autem sacra nudis pedibus peracta sacco indutis, & pulvere conspersis ad puritatem, & simplicitatem ostendendam; Romani quoquē his usi sunt, cum vota Deæ Vestæ concipiebant, ejus ædem nudis pedibus adeuntes; ut notat Jos. Laurentius in Polymat. lib. 6.

Fur-



Furca generalitèr sumpta dicitur omne id, quò, quid sustentatur in modum furcæ factum; ego autèm propriè hìc fumo Furcam prò pœna, & supplicio, undè Plinius ait: *in Furcas fixus*; De furcæ supplicio fit mentio in leg. 38. §. Auctores ff. de pœnis. Dupplicem autèm furcam fuisse ex Scriptoribus lego; veterem scilicèt, & novam; Furca vetus Romanis fuit antiquitùs usitata, & ista paritèr duplex fuit, ignominiosa, & pœnalis; Prima, quà collo imposita Servi circumduci solebant, ob culpam aliquam contemptui, & ad irrisum, hìnc Furcifer dicebatur olìm Servus, qui ob leve delictum à Domino ignominiaè magis, quàm supplicii causa, furcam circà urbem ferre coge batur, prædicans peccatum suum, & obvios monens, ne quid simile peccarent; undè Donatus ait: *supplicii causa circà vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, & prædicare suum peccatum, & simul movere cæteros, ne quid simile admitterent*; & hanc pœnam bellè depingunt Plutarcus in Coriol., & Halicarnas. lib. 7.



Pœnalis autem illa erat furca, quâ collo imposita circumducti, cum verberibus mortem inibant, undè Isidorus, patibulum esse furcam ait, quòd ferat caput, suspensumque, & strangulatum statim examinaret.

Furca nova porrò ævi inferioris inventum est, instrumentum scilicèt è triplici ligno, forma jugi veteris, cui appensos homines laqueo strangulamur; Pœna tamèn laquei, mors impura, ac infamis ab Homero dicitur; Plinius vocat eam præposteram, quia spiritus intercluditur, cui exitus quærebatur; ignava fanè hæc mors est, & vilissima, teste Hildebrando.

## C A P U T X.

### *De usu Salis apud Veteres.*

**S**AL commune, quod etiàm Pueris innotescit, est concretum falsum compositum ex acido concentrato in subiecto terreo alchalino; cujus usus varius fuit apud Veteres, sic notum est quomodò  
apud



apud Etnicos nullum sacrificium sine Sale fuerit oblatum, ac in illo vim efficaciorum placandis Numinibus inesse putabant propter virtutem incorruptionis, ut advertit Alex. ab Alexand. ; farre itaque molito, tosto, ac Sale consperso, ( molam falsam vocabant ) victimæ caput aspergebant, à quò ritu, & mola verbum immolare deductum est; Maximam igitur, ait Plinius salis auctoritatem è sacris Veterum intelligi, apud quos nulla sacra sine mola falsa conficiebantur, hinc Tibullus lib. 3. cecinit

*Farre pio placant, & saliente Sale.*

Sic in Levitico à Deo præceptum legimus, sale condita illa omnia esse debere, quæ in sacrificiis offerebantur; quin & Salinum ipsum inter vasa sacra connumeravit Jos. Laurentius, quod est patella in qua Diis primitiæ cum Sale offerrebantur, undè Livius ait : *ut salinum, patelamque Deorum causa, habeant*; quapropter Sal religionis gratia in divinationibus apponi solitum erat, hinc à veneficiis Sal quàm longissimè removebant, tamquàm rem sacram



cram , sic Homerus ait

*Inspersit autem sale sacro .....*

Sal Fœderis vocatur in Levitico his verbis:  
*ne auferas sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.*

Olîm hospitibus antè cibos apponebant veteres Sal in signum amicitiae, undè multi Gentilium tamquàm ominosum censebant, si Sal in mensa effunderetur, & aliqui etiàm nostris hisce temporibus semper aliquid infortunii prædicunt, quando contingit Sal in mensa proffundi; Sic multi apud nos hac de causa mensam absquè Salino apponunt, ne Sal effundi contingat. Cæterùm Salis usum multis gentibus incognitum fuisse trojano sæculo Homerus, & Pausanias, affirmant: Tracibus autèm fuisse peculiare Sale mancipia emere, ait Alex. ab Alexandr.

Infinita prætereà comoda Sal hominibus suppeditat, ac potissimùm à putredine defendit, ideòque Ægyptios mortuos sale condivisse innui ego in meo de Balsamat. Tractatu, quia à tabe, ac putredine corpora tuebatur; Insupèr Sal Symbolum fuit Doctrinæ Evangelicæ, & prædicationis



nis Apostolicæ ; sic Christus D. N. dixit  
*Vos estis Sal Terræ.*

Sterilitatis Symbolum paritèr Sal esse ,  
ait D. Hieronym. com. in Math. , undè in  
pœnam multas supèr Civitates expugnatas  
Sal fuisse effusum legitur , sic Mediolanum  
exaratum Anno 1165. , Saleque consper-  
sum fuisse , testatur Sigonius de Reg. Ital.  
Itèm aliæ Urbes in Hispania , ut ait Abu-  
lensis com. in Judic. , talem expertæ sunt  
pœnam , & similiter de Castro in Italia  
nostra dicitur .

In sacris aliquibus tandèm Catholico-  
rum Sal locum habere videtur , ut in Bap-  
tismate , & aqua lustrali , &c. Isiacos tan-  
dèm Salem à mensa ablegavisse , ait eru-  
ditiss. Cælius Calcagninus noster .



ADVERSARIORUM  
JOSEPHI LANZONI  
LIBER QUARTUS.

AD REVERENDUM P. D.  
PETRUM CATHERINUM  
ZENUM C. R. SOMASCH.

*Venetum doctissimum.*

---

C A P U T I.

*De Academiis , earumque utilitate .*



Cademiae nomen derivare videtur , teste Svida , à loco mille passus ab Athenis distante, ità dicto ab Academo Heroe ibi morante, ubi Plato natus fuit; Academia verò nostro hoc tempore dicitur illa Urbis pars , in quà celebrantur Studio.



diorum gymnasia , & vulgò Universitas dicitur ; sub nomine quoquè Academiæ veniunt illi Eruditorum , & Poetarum illustres Cœtus , qui nostras Italiæ urbes ornant ; Sophoclem Athenis olîm legem tulisse , ait Laertius , ut neque Scholæ , neque Academiæ aperirentur , neque Philosophorum quisquam præffet , nisi id Magistratus decrevisset ; modò Pontifices , & Imperatores erigunt .

Academiarum institutio valdè antiqua fuit , in Oriente enim fuit Academia tempore Josue apud Judæos , sic , & Scholas habuere Hebræi ; undè apparet Academiarum institutionem , Natura Duce , primitùs factam fuisse , de istis enim meminit Moyses in suis libris ; Apud Sinenses , teste Nicolao Trigautio , viget Philosophia moralis , quam traditione , à quodam Confucio , quem dicunt vixisse antè annos suprâ bis mille , habuere ; attamèn nullas Academias habent ; Paritèr Turcas Academiis scientiarum carere dicunt ;

Quod autèm ad Academiarum utilitatem spectat , si temporum memoriam ,  
vel



vel levitèr refricare velimus ; Respublicas illas diutissimè semper floruisse , ait Braccacinus lib. 1. cap. 5. de jur. doctorat. , quæ optimorum studiorum diligentem habuere curam , & in quibus ingenuarum artium , atquè linguarum extiterunt Scholæ ; hinc Moyse Propheta Dei in singulis Civitatibus Sinagogas instituit , in quibus Viri Sapientes Divinas interpretarentur Leges ; Salomon paritèr Hierosolymis septem palestris instructam Academiam magnificè excitavit , ut monet Pineda de reb. Salomon. lib. 3. Sic ad rectè dirrigendas Respublicas , & Civitates , Sapientes sunt accersiti , qui regulas , legesque imponerent , ut Cretensibus Minos , teste Plutarco ; Lycurgus Lacedemoniis , & Solon Atheniensibus scribente Æliano . In nostra porò Italia viget Virtus , triumphat probitas , atquè Urbes , & Respublicæ cæteris Mundi populis invidiam movent ob Illustres Academias , quas velut in gremio suo fovet Itala Tellus ; hinc antiqua Universitas Bononiæ fulget , viget paritèr in Italia Ticinensis , Patavina , Pisana , Mes-



fanensis , Neapolitana , Perusina , Salernitana , Taurinensis , Senensis , Romana , atquè nostra Ferrariensis , quæ undiquè Privilegiis Pontificiis , ac Imperialibus ornata , & Claris Viris semper munita fulget intèr cæteras , *velut intèr ignes luna minores* ; Prætèr has Academias vulgò Universitates sunt aliæ eruditorum Poetarum Palestræ , ut Arcadum , & Infœcundorum Romæ , Intrepidorum Ferrariæ , Recuperatorum Patavij , Incognitorum Venetiis , Gelatorum Bononiæ , Fisiocriticorum Senis , Incitatorum Faventia , Concordium Ravennæ , Furfurariorum , & Apatistarum Florentiæ , & aliæ multæ celebres Academiæ , ità ut nulla sit Italiæ Civitas , licèt exigua , quæ sua non gaudeat Academia , velut meliori ornameto .



C A P U T II.

*De Pudicitia.*

**P**Udicitia est animi Virtus, quâ quis recundatur, ut sunt actus venerei, juxtâ D. Augustinum de Ciu. Dei; & dicitur à Pudore monente D. Thoma; juxtâ verò Hebræos dicitur purificatio, & mundatio à verbo *Taber*.

Pudicitia, suadente Augustino, res est Animæ; virginitas autem corporis: siquidem illa in anima integra permanente, potest altera corpori violentè auferri; omnes penè Autores tùm sacri, tùm profani summis laudibus hanc virtutem extollunt; sic S. Cyprianus ait, Pudicitiam esse nobilium ornamentum, exaltationem humilium, decus Religionis, &c.

Hac omiffa, omnem ruere virtutem scribit Cælius Rhodigin. lib. 13., in ea siquidem decoris muliebris enitescit principatus; ista comendabiles facit pauperes, divites extollit, deformes redimit, pulchros exor-



nat; hæc Lucretiam Bruto æquavit, nescias an etiã prætulerit, quoniam Brutus non posse servitutem pati à Fœmina commonitus didicit; Ovvenius sic de Pudicitia cecinit

*Virginitas animi murus, victoria carnis*

*Pectus honestatis sancta Pudicitia est.*

Tanti fecerunt Pudicitiam nonnullę antiquorum fœminæ, ut mortem præferre Pudicitix voluerint; Sic Paulina Saturnini Uxor, teste Josepho Langio, per dolum Decii Adolescentis, Pudicitia (hic enim eam sub persona Osiridis in ejus Templo compressit, amissa) dolore excruciatâ periit; Sic paritèr Virgo Ethrusca, juxtâ Benedict. Varchium à militibus capta, servandi pudoris gratia ex Ancisæ Ponte in Arnum se deiecit; ad similitudinem illius, quam refert Bonfin. lib. 6. dec. 1., capta enim, ait citat. Autor, ab Atila Aquileia, cùm *Digna* ingenua Mulier à Barbaro milite capta ad stuprum raperetur, in præces versa, tanquàm secreti cupida, facile impetravit, ut in superiorem partem domus abduceretur, cumquẽ illa prior locum ascen.



ascendisset , confestim partem eam cœnaculi occupavit , quæ Fluvio imminebat ; inde ad Militem conversa : sequere me , inquit , si vis me potiri , ac cùm his verbis in subiectum flumen se præcipitavit ; & Valerius Maximus lib. 6. , De Græca Fœmina nomine Hippona , scribit , quæ cùm hostium classe esset excepta , in mare se proiecit , ut pudicitiam morte tueretur ; & mori pudica , quàm impudica vivere maluit .

De Euphrasia Virgine narrat Nicephorus lib. 7. , quæ sub Diocletiano cùm proptèr S. Fidem nostram ad prostibulum duceretur , & in cubiculo cum Juvene clausa , veneficam se esse dixit , & pharmacum habere , quò illitus vulnerari non posset ; accepit Juvenis mendacium , ac ob ei conservatam pudicitiam , tale remedium discendum poscit ; tùm illa ceram oleo liquatam manibus subigit , & collo suo circumlinit , atquè ut in se ipsa periculum faciat juvenem hortatur , & ille gladio arrepto , primo ictu virginis caput amputavit , & sic illa corporis castitatem , & Religionis puritatem integram conservavit .



## CAPUT III.

## De Verbena.

**V**erbena à Grammaticis quasi herbe-  
na dicitur, & vocatur herba sacra,  
quìa hanc herbam in sacris usitatam  
fuisse legimus; vel, ut ait Servius, quìa  
sumpta de loco sacro Capitolij, quàm corona-  
bantur fœciales, & alii fœdera facturi, vel  
Bella indicturi, undè Virgilius

..... & verbenæ tempora vincit.

Verbenas autèm abusivè, vocant aliqui  
omnes frondes sacras, ut est laurus, oliva,  
myrtus, &c. sic Terentius

..... ara hinc sume verbenas tibi.

hæc herba à multis verbenaca vocatur; cui  
varias virtutes tribuunt nonnulli Medici,  
quas summatim recenset Scroderus; hinc  
comendatur quoquè suspensa collo in do-  
lore capitis; laudatur usus istius herbæ in  
obstructionibus lienis, atquè hepatis, in  
Ictero, in affectibus oculorum, & pecto-  
ris, in calculo abigendo; in procidentia  
ani,



ani, in tertiana febris; Insupèr artritidem mitigat, & odontalgiam, si Rajo fides habenda; plura de hujus herbe virtutibus vid. apud Bibliot. Pharmac. med. lib. 20. Clariss. D. Mangeti Medici Sapientiss. . Gestatam hanc plantam, fortunam conciliare, dicit Wolffius; fides tamèn penès eum, ego enì nihil; certum tamèn est, Verbenam locum habuisse intèr turpes magicos usus.

De prognosi mortis, aut vitæ ex verbenâ fumenda meminit Æmil. Macer. de herbar. virtutibus his versiculis.

*Verbenam gestando manu, si quæris ab ægro:*

*Dic Frater quid agis? benè si responderit ipse*

*Vivet; si verò malè; tunc spes nulla salutis.*

hoc autèm tanquàm vanum puto; eo quia omnes ægri interrogati, quid sentiant, & agant, semper malè se habere respondent. Verbenacam supinam cornices nidis suis imponere, ait Frommanus de Fascinat lib. 1. part. 2. sect. 1. cap. 2. , ut blatas, aliasquè bestiolas ab iisdem abigant. Sunt qui tradunt, teste Pascasio de Coron. lib. 2. , novam nuptam apud Veteres composuisse coronam è verbenis à se lectis, eamquè



sub amiculo tulisse ; Cæterùm quisquis  
quacunque occasione sacrificaret , verbenæ  
coronabatur , de quò eruditè differit mihi  
Amicis. Baruffaldus in not. ad Tabacheid. ,  
sicuti , qui sibi Deos propitios invocabat ;  
Verbenæ , Lauro , Sulphure , ignè piacu-  
lo polluti expiabantur , ut monet Alexan.  
lib. 6. , undè Tiraquellus in ejusd Alex.  
annotat. ait , Verbenis domos lustratas ,  
& purgatas fuisse ; Q Curtius lib. 4. scri-  
bit , Verbenas in Auguris manu preferri ,  
dùm litaret , his verbis ; *ille in candida ve-*  
*ste verbenas manu præferens capite velato præi-*  
*bat preces Regi Jovem , Minervam , Victo-*  
*riamque propitianti* ; quem locum egregiè  
explicat Mich. le Tellier S. I. in not. ad  
Curt. ad usum Delphini.



## C A P U T IV.

*De Diebus .*

**D**iei partes has esse apud Veteres legitur ; nempè mediam noctem , mediæ noctis inclinationem , Gallicinium , Conticinium , quòd , & Galli conticesserent , & homines etiàm tunc quiescerent , Diluculum , cùm incipit dignosci Dies , Mane , ad Meridiem , Meridiem , de Meridie , sive tempus pomeridianum , Solis occasum , sive supremam tempestatem , Vesperas , Crepusculum , Primam facem , cùm scilicèt lumina accendebantur , Concubiam noctem , cùm itum est cubitum ; noctem intempestam , cùm nullum agendi tempus est , quod & silentium noctis vocabatur ; Romani , teste Varrone , diem à media nocte auspicabantur ; Athenienses ab occasu Solis , ad Solem iterùm occidentem unum diem dixerunt ; Babilonii ab ortu Solis , ad ejus ortum ; Umbri à Meridie ad Meridiem , &  
hìc



hìc erat dies civilis, teste Macrobio. Naturalis autèm dies vocabatur tempus ab oriente Sole, ad ejusdem occasum, cujus contrarium erat Nox; Totum verò hoc Solis spatium ab ortu ad occasum toto anni tempore in 12. partes erat divisum, quę dictæ sunt horæ diei, & istæ erant in æquales, longiores diurnæ æstivæ, breviores verò hyemales; & hinc inventa puto Horologia Solaria, in quibus Gnomon Soli oppositus, umbra in lineas incidente, horas ostendebat; cùm autèm Sol sub nubibus lateret, Scipio Nafsica Clepsidras aqua plenas invenit, quibus horas dierum, & noctium mensurabat; Diem verò naturalem antiqui Romani salutationibus inchoabant, & comessationibus claudebant, teste Hildebrando; de horis diei ego suprà dixi in lib. 3. Erant insuper dies Festi, qui Diis dicati erant; Profesti, qui hominibus ad sua negotia concedebantur; Interfici, qui erant comunes Diis, & hominibus, vulgò *mezze Feste*.

Erant paritèr Dies fasti, & nefasti: primi, quibus Prætori fari licebat tria verba  
so-



solemnia *Do. Dico. Addico.* In Nefastis autem id non licebat ; erant etiam nefasti , quibus horis matutinis jus dicere non licebat ; pomeridianis verò licitum erat ; Comitiales dies erant illi , quibus licebat cum Populo agere ; Comperendini , quibus vadium juberi licebat ; Stati erant constituti ad controversias cum peregrinis finiendas ; Præliares , quibus fas erat res repetere , & hostem laccessere ; Justi debitoribus erant dati , pecuniæ conquirendæ causa ; Atri erant dies infasti , ac infelices , de quibus suprà , &c. Innominati pariter erant illi dies antè quartum Kalendas , Nonas , Idus . Notandum verò Justos , innominatos , & atros non præliares dictos esse ; De die autem natali , ejusque superstizioso ritu sacro , & profano scripsit Censorinus , & eruditè post eum P. Mart. de Roa Soc. Jesu Sacerdos eruditissimus .



## CAPUT V.

*De Chamæleonte .*

**C**Hamæleon albus Dioschoridis dicitur Carlina, Planta scilicèt à Carolo Magno primo hujus nominis Imperatore sic nuncupata, quia ejus Exercitus, unius Angeli monitu, usu radicis hujus à peste liberatus fuit; sic in peste ejus masticatio laudatur à Botanicis.

Nos autèm in præsentì capite, non de Planta, sed de Animali sub Chamæleon-tis nomine intelligimus; quod ad genus Lacertarum reduxit Aristoteles; Ejus differentias, & descriptiones exhibet Aldrovandus; Plinius tradit Chamæleontes in Africa nasci; In Asia plurimos versari, ait Solinus; In India Hollerius; & Bellonus in Cairo; Nonnulli in nostra Italia Chamæleontes nutriunt; & Illustriss. D. Antonius Vallisnerius Professor primarius in Universitate Patavina, Patronus meus perpetuò colendus, omni eruditionum genere



nere ornatus, multos Chamæleontes vivos annis elapsis alebat, intèr alia plura naturæ curiosa, quæ ad Philosophiam naturalem spectant, quibus maximè Vir ille insignis delectatur.

Licèt autèm hoc Animal quoscumque reddat colores, quos proximè attigerit, si Aldrovando credamus, attamèn rubrum, & candidum colorem non admittit; Querunt Doctores quomodò nutriatur.

Chamæleontem solo aere vivere asserit Plinius; & confirmant Solinus, Agricola, & Ovidius in Metham.

*Id quoq; quod ventis animal nutritur, & aura  
Protinus, assimilat, tetigit quoscumque  
Colores.*

cùm quò facit etiàm Alciatus in Emblem.

*Semper biat, semper tenuem; quæ vescitur  
auram.*

Kircherus ait, Chamæleontem solo odore sustentari; Gesnerus de Quatrup. rore nutriri putavit; Sunt, & alii, citante Jonstono, qui radios Solis dicunt esse alimentum istius animalis. Ego diù quidem famem tolerare Chamæleontem puto, non

ta-



tamen in totum cibo abstinere , ore enim hiantes , linguàque mucro semper obsita , captare muscas , formicas , aliaque parva insecta , docent Scaliger ; Bellonius , Wossius , Voigtius , & Redi in Epist. Italic. Edit. Venetiis 1712.

Dixi suprà Chamæleontem nec candidum , nec rubrum colorem referre ; verum legitur apud Wossium , virum fuisse , cui donatum fuit tale animal , quod involvit sudario , atquè ubi domum venisset , aperto sudario , dum oculis non satis attentis inspicit , errore deceptus , effugisse animal putavit , nimirum quia candidum sudarii colorem referret ; Id si est , falsi sunt Veteres , qui candidum assumere colorem negaverunt ; Par autem rubri coloris ratio est , quippè si sudarium rubrum fuisset , rubrum retulisset colorem.



## C A P U T VI.

*De consecratione Imperatoris apud  
Veteres Romanos.*

**I**Mperatoris consecratio , si Autoribus antiquis fides est habenda sequenti modo peragebatur . Mortuo quippè Imperatore , qui superstitem reliquisset successorem ; Corpus ritu consueto , & funere splendido , ac sumptuoso sepelliebatur , ceream indè imaginem defuncto similem suprà lectum vestibis ornatum aureis locabant ; lectum à leva, Senatus a veste amictus , à dextrà Matronæ cingebant , & hoc per septem dies faciebant , Medicis quotidie ad lectum accedentibus , quasi ægrum invisentibus ; Demum lectum humeris attollebant Senatorii , & Equestris ordinis juvenes , atquè in forum deferrebant , ubi Magistratus deponere imperium consuevit ; in Foro alius erat consimilis lectus , in quò statuam ceream mortui Principis ex palatio allatam collocabant ,



bant, à quâ, teste Hildebrando, puellus egregiæ formæ, ut si Imperator dormiret, pavonis pennis muscas abigebat. Hinc rostra ascendebantur, & denatum Imperatorem laudabant, indè imago in Campum martium deportabatur; & præferebantur illustrium Romanorum Statuæ; Provinciarum itèm, & nationum, quæ erant subiectæ Imperio Romano simulacra ænea; indè sequebantur armati Equites, ac Pedites. In campo martio autèm rogos quadrangulus in formam tabernaculi extructus erat, exornatus variis signis aureis, in cuius summitate currus inauratus defuncti Imperatoris collocabatur, hinc aromata, herbas, & succos odoratos effundebant; Imperator superstes, & ejus propinqui statuam prædictam osculabantur, tunc universo Senatu spectante circà ædificium illud adequitabant omnes equestris ordinis certa lege, cursu, & recurso; quibus celebratis, facem Imperii successor tabernaculo admovebat, & omnes Magistratus undiquè ignem subiiciebant; hinc è summo tabernaculo Aquila dimittebatur,



tur , quæ in Cœlum Principis denati animam deferre credebatur ; & eadem ratione Imperatoris Uxores consecrabantur .

## C A P U T VII.

### *De Portentis Naturæ.*

**N**atura aliquandò errat in generatione , & quandoque abortitur , aut partus producit membris superfluis , vel monstrosis , vel in aliam speciem degenerantes . Sic portentosa metheora sunt , cùm pluit sanguinem , sulphur , lapides , ranas , aliaquè insolita , ut referunt historici ; In animantium genere portentum est , cùm animal oritur biceps , aut triiceps , bicorpor , vel tricorpor , itèm bigener , qualia sunt animalia vulgò *Muli* progenerata ex Equâ , & Asino , Leopardique ex pardo , & leœna , nec non hybridæ ex fero , & domestico sue ; Ex hominibus verò prò monstris habentur primò Hermaphroditi ambiguo sexu nati , deindè membro aliquo deficientes , aut supereficientes ,

K

&amp; ex.



& excedentes , aut deformati , quibus addere liceat Pumiliones , & Gigantes.

Narrationes de Phænice , Ave scilicet se ipsam exurente , & è propriis cineribus reviviscente , item de pellicano pullos suos sanguine proprio vivificante , de hydra septicipite , de Gryphe volucris quadrupede , & de Arpiis obscenis avibus , de Centauro semihomine , & semiequo ; de quibus omnibus pleni sunt Poetarum libri , fabulosæ sunt . Pariter dicendum est de Faunis , Satyris , Sirenibus , Tritonibus , quæ animalia , vel fuere credulitatis humanæ commenta , vel ludentis Naturæ extraordinaria miracula , aut si figmenta non fuere , Demones ad fallendos homines fuisse verisimile esse , ait Comenius in Janua eruditionis cap. 31.

## C A P U T VIII.

*De Inventoribus nonnullarum rerum .*

**M**ulta de rerum inventoribus eruditè scripserunt Polid. Virgilius , Alex. Sardi Ferrar. noster , & Theod. Janssonius ;  
ali.



aliqua tamèn nos derelicta ab eis hic subii-  
cere non incongruum putamus, ad majo-  
rem eruditionis messem. Sic Academias  
litterarias poeticas invenit Jo: Jovian. Pon-  
tanus, juxtà Minturnum in præfat. ad  
Poetic.; Ova in Mulieribus primò nota-  
verunt Varton., Steno, & Graaf., ut ait  
clariss. Nigrifolius de Gener. vivent.

Alphabetum italicum novis litteris ada-  
uctum dedit Ptolomeus Senensis, alij  
ajunt Trissinum illud invenisse; Ità Az-  
zolin. in pomp. Senens. . Lenticule palu-  
stris semen primò observavit Clariss. Val-  
lisnerius, sicut semen Alghæ marinæ Ce-  
ssonus.

Armillæ inventæ, & primò fabricatæ à  
Vulcano - *Casp. Bartolin. de inaur. veter.*,  
Zonas sonoras in aure primus observavit  
Clariss. Valsalva.

Aucupium cùm Accipitre, aut Falcone  
invenit Frid. Barbarossa (*Guid. Panzirol-  
rer. deperd., & invent.*) Astianassam Helenę  
famulam varios modos concubitus invenis-  
se tradit Nicol. Leonic. *Tomęus Var. hist. lib.*  
3. Artem expurgandi, & perficiendi Sac.



carum invenere Veneti . *Guid. Pancirol.*  
 Artem contrà Demones invenisse Salomo-  
 nem ad hominum utilitatem, ait *Jo. Fran-*  
*cis. Picus de rer. pœn. lib. 7.* Æquinoctium  
 primus observavit Anaximander. *Suidas.*  
 Asilorum usum invenit Cadmus, *ex Bal-*  
*daf. Bonifac.* Harmoniam reperit Diocles  
 Atheniensis, dùm testacea vasa ligno pul-  
 sabantur; *ex eodem Autore.* Bombarda in-  
 venta est à Bertoldo Svvar-do Monaco Fri-  
 burgenfi, *ex eodem.* Bombices, & eorum  
 Semina è regione Cinæ primò Costantino-  
 polim regnante Justiniano, an. 150., at-  
 tulisse quosdam Monacos, ait *Procopius.*  
 Colorem ultramarinum ex lapide lazuli  
 præparatum primus reperit Nicol. Nicolu-  
 tius dictus *il Pigna*, aromatarius, & Pater  
 Jo: Baptistæ Historici, ac Poetæ famigera-  
 tifs., *vid. Barthol. Riccius epist. 4., & Ba-*  
*ruffald. Bibl. Script. Ferrar. MS.* Ductus  
 adiposos Omenti primus observavit Mal-  
 pighius. Ductus Salivales invenere Ant.  
 Nuck., Nic. Steno, Varton., Bartolin.,  
 & Rivinus; ut ego innui in tract. de Sa-  
 liva. Fasti Kalendares Romani, seu dies  
 fe-



festi, & ludi Romanorum fuere primò instituti à Numa Pompilio, & Cn. Flavius Scriba Pontif. publicavit; deindè C. Jul. Cæsar. Anno ad Solis Cursum redactò in Foro adfixit; ( ità *Andr. Schot. elect. antiq. rom.* ) Stemmata primus invenit Heliogabalus. ( *Salmasius sup. Ælium Lamprid.* ) Valvulas in vasis lymphaticis Fridericus Ruischius primus observavit. Mercurialem unctionem Jacobus Carpus invenit; ( *Fallop., & Ramazin. de Mor. Artific.* ) Novus Orbis repertus est à Christophoro Columbo. ( *Panciol. rer. invent.* ) Jambica Carmina primùm excogitavit Jambe Panos Filia. ( *Tiraquell. de leg. connub.* ) Maria Soror Moſis prima omnium carmina heroicha modulata fuit; ( *cit. Tiraquel.* ) Sido Ponti filia primò hymnos composuit, teste *cit. Tiraquel.* . Theatrum primus omnium Thepsis aperuit ( *Scaliger. Poet.* ) Rytmos italicos vulgò Ottave invenit Boccaccius. ( *Crescimben. Hist. Poes.* ) Versus canere in tertia rima primus invenit *Dantes Aligberius*; ità suadente eodem *Crescimbenio* . Jacobus Riccius Veronensis invenit Muscipulas ( *Ca-*



rol. Ridolf. de Pict. part. 2.) Novum sistema circa vermes humani corporis dedit clariss. Vallisnerius. Notas Musicales invenit Jacob: Muri Parisinus. ( *P. Bacchin. in diar. liter. mutin. Ann. 1696.* ) Libationes inventæ sunt à Libero patre ( *Casal. de ritib. roman. veter.* ) Lucimetrum invenere Galli ( ità *Dominic. Cecchi.* ) Typographiam invenit Anno 1440. Joan. Faustus Civis Moguntinus, ut scribit *Salmutus in not. ad Pancirol.* Saccari lactis inventio debetur D. Lud. Testi. Nivem Martis nupèr pharmacie Italice dedit peritiss. Jo: Hieron. Zannichellus. De Chartæ, qua nunc utimur inventionem multa eruditè scripsit in sua epist. de Charta, insignis noster Fran. Maria Nigrifolus. Vasa lymphatica à dura perpiam meningem cerebri producta primus observavit oculatiss. Pacchionus.

## C A P U T IX.

*Sequuntur alii rerum inventores.*

**M**Olam aquariam ad triticum frangendum primus invenit Belissarius

Ju.



Justiniani Dux famatissimus ( *Pancirol.* )  
Torneamenta , sivè belli simulacra reperit  
Emanuel Comnenus Imperator Constan-  
tinopolitanus ( *Nicetas.* )

Loqui per hyeroglyphica invenere Ægy-  
ptii ( *Pier Valerian.* ) Zifferæ , seù furtivæ  
litterarum notæ inventæ sunt à Libertis  
Ciceronis , & Mœcenatis . ( *Pancirol. rer.  
invent.* ) Togam Trebenum quendam Ar-  
cadem invenisse , refert *Bossius de toga rom.*  
Inaures primus paravit Vulcanus . ( *Casp.  
Bartolinus de inaurib. Veter.* ) Equuleum in-  
venere Græci ( *Magius de equul.* ) Tintinna-  
buli sacri inventum debetur D Paulino  
Episcopo Nolano ( *Magius de tintinab.* ) Fa-  
bulam pastorem italicis carminibus exa-  
ratam primus dedit Augustinus Beccari  
Ferrar. , ut notat *Guarin. in compend. Poes.  
tragicom.* . Choros autèm in istis Fabulis pri-  
mus invenit , & eis addidit Torq. Tassus .  
Numismata sacra invenere populi Belgii  
sub Pio V. ( *Fam. Strada S. I. de bel. belgico.*  
Societates *Battutorum* Laicæ inventæ sunt  
à Senensibus , ità *Marcus de Ulisipon.* Mina-  
rum bellicarum inventor fuit Petrus Nava-



rus. (*Guicciardin. histor.*) Pendula Horologii primus adaptavit Gallileus (*Redi in epist.*) Orationes judicarias etrusco idiomate primus invenit Alexander Guilielminus Senensis (*Claud. Ptolomeus in Epist.*) Epigrammata italica Aloysius Alamanni primò composuit (*Cresimben. Hist. ital. Poes.*) Vitalianus inventor fuit Organorum musicalium in Templis, ità *G. Horn. bist. Eccles., Casal. part. 3.* Vestales primus instituit Numa Pompilius [*Casal. de prof. rit. rom.*] Stercorandi agros primus inventor fuit Pilumnus, undè Pylades Poeta antiquus cecinit

*De Jove Pilumnus qui stercora ferre per agros  
Edocuit populos .....*

Intercalandi menses modum in anno solari primus dedit Cæsar Dictator (*Marcel Donat. sup. Tit. Livium*) Feralia invenit Æneas, teste Ovidio lib. 2. Fastor., Parentalia primus instituit Numa (*Kirchman. de Funer.*) Primus Homicida fuit Cain. (*Genes. cap. 4.*) Venas secare primò docuit Hyppopotamus, Autore *Plinio*. Purpuræ inventio debetur Herculi (*Bonifac. bist. lud.*) Syrophænicos invenere syderum cognitionem,

na-



navigandi industriam , & militarem disciplinam ( *idem Bonifacius* ) Ocularia invenit Fr. Alexander Spina ( *Redi de ocular.* ) Spheræ inventio Nauſiacæ Alcinoi filiæ debetur , ità *Suidas* . Primus Hospitalarius Zoticus fuit ( *Jo. Bap. Pacichel. de boſp.* ) Ponderare aquam in aqua , reperit Rob. Boyleus , ità ait *Holdemburg. Act. philoſ. ann. 1669.* Novam Institutionum medicarum Ideam , dedit celeberrimus Morgagnus Prof. Patavin. Tetrametrum invenit Aristophanes ( *Suidas hiſtor.* ) Rorem pericardii deſtillari à poris membranæ cordis primò notavit Cl. Fantonus ( *Illuſt. Valliſner. anat. Strut.* ) Obelyſcus inventus eſt ab Ægyptiis , primuſq; erexit Mytres ( *Bonifac. hiſt. ludric* ) Glandulas uretræ novas invenit Clar. Terraneus Medic. Taurinen. doctiſſimus .

## C A P U T X.

### *De Roſa.*

**R**oſa apud omnes Gentes , & Nationes Flos eſt ſpectatiſſimus , ſuaviſſimiquè odoris , quò Cor , cerebrumq; mirificè



ficè recreantur; hæc est Veneri sacra, unde Poeta cecinit

*Syderis, & floris est Domina una Venus.*  
& Anacreon. dixit

*Rosam amoribus dicat am.*

quoniam, ut brevi tempore durat rosa, & occyssimè marcescit, sic forma, ac voluptas venerea citò pereunt.

Conviviorum paritèr amica fuit Rosa, ac familiaris, & Silentii quoquè symbolum referente Stuchio in Antiq. conviv. lib. 3., sic Poetæ finxerunt, Cupidinem Veneris filium Rosam Harpocrati Sylentii Deo consecravisse, eoquè munere eum decorasse, ut Rosa loquacibus exhiberetur, velut symbolum Sylentii; hinc à multis in cenaculis Rosa affigebatur, ut quisquis esset secreti tenax, & omnia tacenda esse recordaretur, quem morem carmina sequentia depingunt,

*Est rosa flos Veneris, cujus quò facta laterent*  
*Harpocrati Matris dona dicavit Amor;*

*Inde rosam mensis hospes suspendit Amicis*

*Conviva, ut sub ea dicta cavenda sciat.*

Ex hoc proverbium surrexit apud Germanos,



nos, *hec sint sub Rosa dicta*, quò significatur, ea, quæ sunt liberis dicta, fida taciturnitate esse tegenda, nec aliis comunicanda.

Rosas paritèr Sceptrorum cacumini impositas à Babiloniis fuisse narrat Clariss. Jo: Argolus in not. ad Panvin. de lud. Circ., idemquè, incisas in obeliscorum summitatibus easdem rosas ab antiquis notavit; Germanos olim Rosis usos esse ad reprimendos vini vapores Possidonii testimonio comprobatur Appianus lib. 2., & de hoc fusè egi ego in meo de Coronis libro. Plutarc. in Sympos. rosaceas, & violaceas coronas leniter frigidas, astringendi, eaque quibus caput gravatur odore suo reprimendi vim obtinere docet, & idem confirmat Clem. Alexandr. in Pædag., undè Anacreon.

*Sed implicare curo*

*Meos rosis capillos.*

& rursus in alio loco cecinit

*Rosam amoribus dicatam*

*Sociemus ad lyeum &c.*

quæ carmina Anacreontis, ità in italicum sermonem concinnè convertit Illustriss. D. Ab. Anton. Mar. Salvin. in Acad. Florent.

Græ.



Græcar. Literar. Lector Sapientissimus

„ *E le tempia ingbirlandiamo*

„ *Dell' amorosa*

„ *Vermiglia rosa*

„ *E ogn' un con riso chiaro, e grato*

„ *Rida, e beva incoronato.*

„ *Rosa vaga, e lusinghiera*

„ *Rosa onor di primavera &c.*

De hoc etiàm Flore cecinit celeberrimus  
Vates italicus nostrorum dierum D. Franc.  
de Lemene

*Deb mirate, ò Verginelle,*

*Come pura ne innamora*

*Fresca Rosa in sù l' Aurora,*

*E imparate ad esser belle;*

Significari enim in Sacris paginis per Rosam Virginitatem, & Martyrium, ait P. Mart. del Rio in adag. sacr. primam ob Rosam candidam, alterum ob rubicundam; sic D. Ambrosius de Virgin. inquit *Virgines copiosum Gratiæ influxum exigunt, & rosæ imbre fecundantur*, & P. Cornel. à Lapide com. in sapient. cap. 2. pudoris, ac virginitatis symbolum Rosam esse scripsit, unde suavis nostri incomparabilis Areosti Musa

in



in cant. 1. sui Orland. Fur. cecinit

*La Verginella è simile à la Rosa.*

& Tassus celebris italicus Vates Cant. 16:

Hier. liberat.

*Deb mira , egli cantò , spuntar la Rosa*

*Dal verde suo modesta , e verginella*

*Che mezo aperta ancora , e mezo ascosa*

*Quanto si mostra men , tanto è più bella.*

Olim etiàm Gratiis sacram fuisse Rosam ob insignem floris elegantiam , dicit Pausanias lib. 6. , cum ejus venustas , & foliorum decor , vivam pulchritudinis imaginem exprimat . Aurora quoquè , quæ aureo vultu splendentem Solis faciem reducit , ab antiquis *Dea rosea* appellabatur , & ab Anacreonte roseis digitis decora Aurora dicitur , undè suaviss. Redi cecinit

*..... con le rose dit a*

*A i viaggi del Cielo il Sole invita .*

Pierius Valerianus , Rosam prò hieroglyphico humanæ imbecilitatis agnoscit ; hinc elegans Poeta rosam sic celebravit , vel potius deploravit ,

*Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam ,*

*Et dum nascuntur consenuisse rosas .*

Hinc



Hinc Sanct. Ambrosius in Hexam. philosophatur, rosam spinis armatam esse, tanquam humanæ vitæ spectaculum; tristitia enim adiunctam semper habet hilaritatem, & è contrà; Rosas autem primitus spinis caruisse, ait S. Basilius, postea verò floris pulchritudini additos esse aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo indè dolore exulcerati, quem ex delicti recordatione emergere, scribit Cornel. à Lapide Com. in Ecclesiastic. cap. 24., statim amittamus; Medicè autem loquendo, integram Pharmacopæiam ex sola Rosa eformari posse, jam docuit Jo: Car. Rosenbergius in sua Rhodologia, si-  
vè Philosophico -- Medica rosæ descriptione, ubi increpat eos, qui insupèr habitis domesticis, & vernaculis, medicamina indica, exotica, ac peregrina petere solent.

Licèt porrò tantæ venustatis, & jucunditatis Rosa existat, attamen nonnullos ab hoc Flore abhorruisse, ait Illustriss. Ramazzinus de Morb. Artificum, & Medicorum testantur historiæ; Hinc P. Casp. Scotus in lib. 3. Phisic. de Cardinali Caraffa scribit,



bit, qui quot' annis rosarum tempore, Romanam linquere cogeatur, seque intra suos hortos claudere, custoditis ostiis, ne quis amicorum ingredientium rosam inferret.

Petrus Melinus, teste Pierio, rosarum odore plurimum lædebatur; Petrus Servius in suo de odoribus libro, se novisse ait pedissequum, qui rosarum odorem adeò fugiebat, ut eo percepto, animò confestim deficeret; Digbeus in tract. 1. de natur. corpor. scripsit de nobili Angla, quæ sumoperè à rosarum odore abhorrebat, & cum quidam clam dormientis ejusdem genu rosam imposuisset, experturus, num tanta illi esset cum rosa antipatia, quanta dicebatur; hinc ortæ fuere pustulæ variæ in ipso genu.

Grunbergensem, notavit Clariss. Samuel Ledelius Academicus noster Curiosus in Miscel. Acad. Leopoldinæ, cui odor rosarum inflammavit oculos; & de Matrona nobili, retulit in Ann. x. dec. 2. Miscel. Cur., quæ albarum rosarum odorem non tantum admittebat, sed, & capiti eas.



easdem Rosas albas imponebat , libentissimeque naribus admovebat , rubras autem omnes adversabatur , & ni removerentur, deliquia animi patiebatur; undè autem ratio sit eruenda , non tam liquidum videtur; ait verò citatus Ledelius, videri, quod subtiliores, & penetrantiores particulæ insint rubris rosis, & ea propter nervosum genus penetrantiùs feriant , quàm albæ, utpotè quæ non ità sunt excoctæ , & aquosiores continent partes præ rubris, id quod color saturior in his innuit ; immò legitur in tom. 5. dec. 2. Misc. Ac. Cur. Rosarum causa dolores capitis ortos fuisse, & de Cive nostro recorder, qui ex odore rosarum, gravedine afficiebatur . Tandem notandum Gentiles in suis testamentis jussisse ad eorum sepulcra rosas deferri , ut ex Lapidibus sepulcr. patet , in quibus legitur : *ut quot annis rosas ad ejus monumentum deferant , & alibi Rosas quot' annis ornandum .*



JOSEPHI  
LANZONI  
CONSULTATIONES  
MEDICINALES  
VIGINTI.



*Recta Consilia Ægrotis damus.*

**Terentius in Andria Act. 2. Scen. 1.**



## CONSULTATIO I.

*De Apoplexia.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

FRANC: MARIAM NIGRISOLIUM

*Medicum Sapientissimum, &c.*

**T**Extor Ferrarien. Annor. ætatis 49. habitus carnosus, alioquin sani, Baccho indulgens sub finem Quadragesimalis Jejunii hujus anni 1713. in Meridie, de repente collapsus instar mortui jacet sine voce, nec videns, nec audiens, quin etiam tactu, motuque privatur, cum stertore quodam, pulsu adhuc integro, absque febris; super cubile delatus, consilium, atque medicum petit auxilium.

Hæc affectio est morbus ille gravissimus Apoplexia fortis dictus, qui primò caput obsidet, & protinùs, ac subito sensu, & motu corpus universum privat, ut in præ-



senti Patientē apparet , signa enim diagnostica per se manifesta sunt ; Hujus affectionis causa est impedita irradiatio spiritus animalis ad organa sensus, & motus, quod , si observationibus anatomicis credendum , à stagnatione sanguinis evenit , quemadmodum innuit Hippocr. , & post eum Wepfer, ac Doleus ; impedito enim sanguinis motu , ipsoquē cruore coagulato in vasculis cerebri, seu meningum , vel in jugularibus ipsis, influxus in animales spiritus tollitur , undè lumen animale deficit, ex quò imēdiatē Apoplexia habetur ; Quoad prognosim spectat, Hippocr. in casu nostro apertē ait , Apoplexiam fortem solvere impossibile esse , & cū stertorem habeamus , nulla vitæ salus sperari potest ; At quia, monente Celso, melius est anceps experiri remedium , quàm nullum ; ideò ad indicationes curativas , ut rectam consultationis methodum seravernus , transeamus ; Istæ igitur sunt , primò restituere quanto citiùs fieri possit sanguini motum , indè spiritibus animalibus, postea depurare , ac volatilizare cruorem ipsum , tandem.



demquè viscera , & præsertim cerebrum ipsum corroborare : Prò quibus assequendis cùm in casu nostro Dieta , ac Pharmacia frustraneæ sint , eger enim nihil per os admittit , experto enim me præsentè aquæ apopleticæ brevi haustu , ipse per os ingrediebatur , & unà exhibat ; Tota ergò spes salutis in Chirurgia est reponenda ; Venæ sectio in Brachio , pede , ac jugulari instituatur partitis vicibus ; Frictiones fortes , ligaturæ , cucurbitulæ scarificatæ , & auulsa applicentur , nec non experiatur remedium à Clariss. Dom. Mistichello præscriptum , nempe ferrum ignitum plantis pedum appositum ; clystere acri uti non incongruum puto , quod si istis non cedat aliquantisper morbus remediis , ac saltem liquida æger inglutiat ; tunc de vita actum est ; ut in præsentì nostro casu accidit ; nocte enim sequenti vitam cum morte commutavit ; & si in meridiè lumine animali orbatus fuit , sub media nocte , vitalis pariter flamma extincta ; atquè sic illi

*In æternam clauduntur lumina noctem .*



## CONSULTATIO II.

*De Paralyfi post Apoplexiam.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

ALOYSIUM A FABRA

*Medicum Præstantissimum.*

**N**Otissima est Affectio Rever. Sacerdotis Parochi nostri Ferrarien. Annor. ætatis 50. post enim validum Apoplexiæ insultum, diversarum partium corporis subsequuta est, & præsertim linguæ, ut nequè verbum integrum articulare valeat, Paralysis. Hujus affectus generationem descripsit divinus Senex in 4. de rat. vict., cujus causa videtur esse vitium musculorum, & animalis spiritus, & quidem musculorum, cum ipsorum fibre ineptæ sint, & malè dispositæ ad sui extensionem, cum sint flacidæ, ac molles; vitio autem animalis spiritus, si impotens sit ad musculorum fibras distendendas, aut quia  
de.



deficiat, aut quia impediatur ejus influxus in nerveas partes à materia crassa, & obstruente; Quidam prognosim, hæc paralyfis curatu est difficilis, quia inveterata est, & quartum nunc videt annum, immò quia ab Apoplexia ortum habuit, timendum, ne iterum in Apoplexiam degeneret; attamen quia ætas consistens est, aliquid boni sperandum, nam si in senectute esset Patiens, tunc incurabilis omnino esset, cum tubuli partis affectæ sint duriores, & fibrillæ crassæ, ac densæ, & minus sint mobiles, unde obstructions in iis genitæ non facile tolluntur; Indicationes igitur curativæ in hoc casu sunt, restituere motum spiritui animali, tollere materiam illam crassam, ac obstruentem, tandemque firmare, ac corroborare fibras, aliasque partes nervosas; Prò quibus assequendis, ad tres Medicinæ Fontes deveniendum puto; nempe ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Dietam; & quò ad primam, venæ sectionem comendo repetitam, ad hoc, ut communicato motu cruori, impedimenta facilius tollantur;



frictiones , ac cucurbitulæ scarificatæ ;  
etiàm in subsidium venire possunt ; ex  
Pharmacia , expiatis primò communibus  
viis , & alvo sollicitata , potione nostra ma-  
gistrali solutiva , vel pilul. de agarico , Co-  
chiis , & agregatiu. , & prò alterantibus  
ad plures dies utendo jure vituli , in quò  
bullerint C. C. limat , fol. primulæ veris ,  
Betonicæ , & Graminis ; indè ad specifica  
deveniendum ; ut est sequens mixtura  
per coclearia repetenda ad plures dies. R.  
Aq. ceras. nigr. , Salvię ana unc. ij. , Epi-  
lept. Lang. unc. sem. , Extract. castor.  
drac. sem. , Syr. de stechad. unc. sem. m.  
Præbeatur pulvis viperinus per mensem ,  
superbibendo decoctum ex Ligno Querci-  
no , Salsæ paril. , Sandal citrin. , Radic.  
peoniæ , & fol. maioran. , Salviæ betonic. ,  
mixtis , & in aqua Fontis paratum S. A.  
Quovis vesperè utatur conserva primulæ  
veris , Flor. tunicę , betonic. , & lilior.  
conval. inungatur pars affecta , oleo vul-  
pino , Castorei , & spirit. vini mixto , nec  
non vinacea calida apponantur suo tempo-  
re ; Vitet frigus , ac aerem nocturnum ,  
vi-



viſtus ſit moderatus , & cibi condiantur  
aromatibus , cavendum à carne ſuilla ,  
anatum , anſerum , & pavonum , & à vi-  
no nimio , ac generoſo ; immò poterit vi-  
num ſuum medicari ſol. roremarin. , &  
ſaſſaſraſ. . Cœna ſit parcior prandio , &  
M valdè ab eo diſtet ; Somnum fugiat  
meridianum ; Motum , atquè  
exercitium præſertim ſereno  
cœlo comendo ; alvus  
lubrica ſemper ſer-  
vetur , & hi-  
lari animo  
ſperet  
ſalutem à Deo , qui ſolus  
languores omnes  
ſanat .



## CONSULTATIO III.

*De Vertigine .*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
FRANCISCUM JUSTINUM

*Medicum , Chirurgum , & Anatomicum  
Solertissimum .*

**C**Ivis noster Ferrarien. ætatis 40. annor., aurium primò tinnitum senit, cùm modico capitis dolore, ac rubore oculorum, paulò post omnia vertiginum videbantur, nec rectà stare poterat, ità ut timeret, ne caderet; hæc affectio facta est frequens, & nunc visio tenebricosa est, & nisi baculo inhæreat ambulare nequit, ob timorem concidendi; Petit à Medicina auxilium, remedia, & salutem.

Vertigine affici hunc nostrum Civem certum est, signa enim tam manifesta sunt, & aperta, ut cuilibet etiàm non Medico  
apa-



apareant ; Subiectum hujus affectionis communi Authorum consensu cerebrum statuitur , cùm spiritibus animalibus , qui valdè perturbantur , ac inordinate vagantur circa callosa corpora , & striata cerebri , nec non per poros omnes ipsius visceris principalis ; sic causa conjuncta hujus affectus erit spirituum animalium turbatio à corpusculis æterogeneis , & ipsis spiritibus infæstis , vel in sanguine , vel in aliis humoribus latentibus producta ; particulæ enim vertiginosæ in internas partes cerebri insinuatæ spiritus fugant , atquæ tenebricosos faciunt ; undè inordinate ad oculos propulsi , vertiginem pariunt in casu nostro .

Post causas , ad Prognosim est deveniendum , & primò si vertigo hæc diutiùs duraverit , apoplexiam , vel maniam , vel spasmodicos insultus prænunciat ; undè colligo , hunc affectum non foci pendendum esse , tanquàm morbi majoris prodromum ; Interrogandus autèm est Æger præsens , an viridis , aut purpureus color antè oculos obversetur , tunc enim amentiam ,  
ac



ac epilepsiam prænunciare, scribit Clariss. Doleus; Si verò recens vertigo est periculo vacat; Aliquandò capitis dolor hujus affectionis solet esse remedium, cujus exemplum dat Lel. à Fonte conf. 6.

Indicationes curativæ sunt, sedare inordinatum spiritus animalis motum, corpuscula vitiosa æterogenea eliminare, atque cerebrum corroborare; Quare primò innixi aphorif. Hippocr. sect. 4. num. 17., „ si febrem, non habeat, & æger noster „ abstineat à cibo, & tenebricosam vertiginem patiatur, & oris amaritudinem „ sentiat, purgatione indigere significat; sic igitur alvo sollicitata aliquo lenienti pharmaco v. g. Cassia, Manna, Syrup. aureo, Conser. flor. Persicor., vel similib., dico sanguinis missionem, tamquam singulare remedium, admittendam, & si de facili non cedat remediis Vertigo, tunc frictiones, Arteriotomia, Cucurbitulæ scarificatæ, Hirudines, & id genus remedia, è Chirurgico Fonte derivata, usurpanda sunt; Ex Pharmacia verò nonnulla veniunt assumenda præsidia, ut Decoctum  
li.



ligni Guaiaci, Visciquerc., Buxi, Radic. Peoniae, Fol. Calendul., Betonic., procurato sudore per hypocaustum, & id per dies triginta; sudor tamèn sufficiet per x. dies; habito respectu ad Ægri tolerantiam, & resistantiam; omni autèm octavo die decoctionis, sumat Patiens Pilulas de Agarico ad drac. j.. Immò, tincturam Succini partiùs, sed sæpè datam cùm Syrup. flor. peoniae meritò intèr specifica referri ait Valdschmidius in monit. med.. Laudo etiàm sequentem Tincturam à præstantiss. Doleo descriptam R. Flor. Peoniae, Lilior. Conval. ana unc. sem. Rorismarin. drac. iij., Salviae Betonic., Tiliae ana drac. ij., cum Spirit. cran. human. suo sale impregnat., Ultimo loco Conserv. flor. Calendulae quavis vespere ad Cocleare unum comendarem, sicut non semel uti sequenti bolo bonum erit, R. Stercor. Pavon. alb. in Sartag. leniter exsiccati, & pulverisati drac. sem., cum conf. betonic. q. f. fiat bolus aurat.. Hoc autèm stercus effectum suum edit ob suum copiosum sal volatile, quò scatet; Ad Dietam quod attinet, Cibus  
eli



174 *Consultatio III. De Vertigine.*

eligatur succi boni , & qui facilè digera-  
tur , vitentur ergò omnia legumina , Suil-  
læ carnes , & præsertim salitæ , Caseus ,  
Pasta , itèm vinum generosum , quia hoc  
adaugēt sanguinis, spiritusquē effervesce-  
ntiam , indèque multas particulas indomi-  
tas ad cerebrum mittit ; Æger animi  
perturbationes fugiat cane pejus ,  
& angue , quia istę valdè  
sanitatem lædunt ; Aer  
sit serenus , tem-  
peratus , ac  
lucidus ,  
austrini cœli flatus fugiat ; sicq;  
sanitatem Deo adiuvente  
recuperabit ; Fa-  
xit Deus ,  
&c.

CON.



## CONSULTATIO IV.

*De Cephalagia.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
FRANCISCUM SALMIUM

*Medicum Præstantissimum.*

**M**ulier 30. Annorum vidua boni corporis habitus, cui mensium fluxio imminuta est, dolore capitis punctivo per plures dies afficitur, cum inapetentia, & aliquandò cum cordis palpitatione; vix febre tentatur, ordinatè enim motus cruoris incedit; præter exiguam alterationem pulsus; aliquandò pallet, & modò rubet, atquè oculi inflammantur; Ob dolorem nequit, è lecto surgere, consilium medicum poscit, & auxilium sperat. Hic affectus Cephalagia nuncupatur, & est dolorifica sensario capitis à continui solutione dependens; Partes affectæ sunt partes nervosæ capitis, illæ enim sunt exquisito sensu



su præditæ , & quò magis acres particulæ sanguinis , & lymphæ in illis partibus latentes sunt acutiores , ac in majorem motum percitæ , eò dolor exurgit validior , undè pungitivum sentit nostra Ægra dolorem ; Cause igitur istius affectionis , sunt acres particulæ cum humoribus per vasa ad caput derivatæ , & cerebri filamenta , meningesquè vellicantes , atquè pungentes , quæ fortassis acres particulæ ortum habere ex imminuto catameniorum fluxu , non benè enim purgato menstrualitèr sanguine , ut scateat particulis impurioribus est necesse , & maximè in Vidua juvene , cui feruet massa sanguinis .

Circà Prognosim , Galenus ait , quod ex se iste dolor lætalis non est ; nihilominus tamèn periculo non careret , si longus , ac diuturnus esset , altasquè radices produceret , tunc enim in Apoplexiam , Epilepsiam , & cœcitatem transire posse docuit Jo: Fortis in consult. monendo cùm Areteo capitis doloris finem mortiferum esse , exigui enim dolores non sunt spernendi ; attamèn quia in nostro casu , mulier sana est ,



est , & juvenis , ac dolor altas non egit radices , sperandum ope remediorum , citò salutem ipsam recuperare posse , ut voveo.

Indicationes ergò curativæ sunt , sanguinem à particulis illis acribus depurare , easquè eliminare , caput corroborare , & cruorem ad inferiora loca invitare , atquè per ea minuere , sicquè catameniorum fluxum in perenni motu , ac debita mensura restituere .

Quibus , ut satisfiat , ad tria Medicinæ brachia recurrendum ; & primò quò ad Chirurgiam , præcipuè consideretur sanguinis missio , & ità sanguis erit educendus à vena pedis , Hippocr. enim suadet , *ut dolorem sedes sanguinem de venis detrabito* ; & si dolor non cedat , monente Valdscripio , vena secetur in fronte , vel manu ; & ego pluries observavi fœlicitèr sectam fuisse venam jugularem , quàm & Arteriotomiam in temporibus summæ efficaciam esse putarem , quandò dolor pertinacitèr hæreret , nec de facili cederet ; Cucurbitule etiam scarificatæ spernendæ non sunt tanquàm V. Sect. vicariæ ; hæc in quantum



ad Chirurgiam in casu nostro; Quod attinet ad Pharmaciam; Expurgatis primò à saburris, & vitiosis fermentis primis viis vel Syr. aureo solutivo, vel Potione nostra magistrali, ad sex untiarum pondus; Prò alterantibus utatur quavis mane jejuno stomacho jusculis, in quibus bullierint folia betonicæ, Cicorei, Endiviæ, Oxalidis. Ab opiatis abstinendum; hæc enim, teste Valdfcimidio, paliativè curant, idquè non sinè periculo gravioris recidivæ, vel affectus lethargici; Prò magno remedio in tali casu, & in mea potissimùm dilectissima Uxore expertus fui, decoctum ligni visciquercini per plures hebdomadas jejuno stomacho assumptum; Nonnulli usum frequentem Pillular. de Aloe, atquè de Agarico laudant; Prò externis remediis, Primò sint lintea sequenti liquore madefacta, & fronti ad dolorem cicurandum apposita; R. Aq. Verben., betonic., rosar. unc. iij, vel ungu. populeon., & alabast. inungatur frons; Verbenam collo suspensam comendat Petr. Forestus; Lotio pedum sæpè juvat, quatenùs fibrillæ nerveæ  
blan.



blando poppyfmate demulcentur ; quod etiam laudat Doleus ; Quò ad Dietam demum , cibi sint optimi succi , & facilis coctionis ; Potus sit vinum tenue , immò si à vino omninò abstineret melius esset , nam vinum capiti nocere , ait in suis monitis Medic. Valdfcmidius ; Exercitium sit moderatum , somnus , & vigilia sint mediocria , Animi pathemata fugiat , utpotè quæ spiritus , & humores agitant , sicq; dolori capitis calcar adderent , & effervescentias sanguinis excitando nimias , arterias extendendo , cephalagiam augerent . Cæterà quæ pertinent ad varias conservas , aliaquè medicamina à Practicis , tam antiquis , quàm recentibus præscripta , silentio præterire volui , tum quia præscriptis supèr remediis salutem recuperaturam spero , tum etiam cum illa in dies à prudenti Medico præfenti perfici debeant .



## CONSULTATIO V.

*De Tussi contumaci .*AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
PETRUM DOMIN. VOLTOLINAM*Medicum Doctissimum .*

**C**asus proponitur ab Excellentissimo D. Medico ad Curam Nobilissimi Juvenis , qui immodicè delectatus potionibus gelidis ex succo limonum , & modico faccari paratis ; diebus canicularibus incidit in tussim molestant , adeò ut noctù dormire nequeat , & tam pertinacem , ut usquè adeò elapsi sint tres menses , & multis tentatis ex Arte remediis , nondùm convaluit ; quare opem , & auxilium à Deo primò , indè à Medicina implorat .

Affectus igitur , quò noster hic Æger laborat absquè dubio est Tussis molesta , & contumacissima , quæ definiri potest , valida ,



lida , crebrior , inæqualis , & sonora efflatio , vel expiratio , quâ magna spirituum pars cùm impetu foras erumpens vi sua explodere nititur acria excrementa , ex lymphâ peccante orta , tracheam , ipsasquè pulmonares fibrillas laceffentia , & vellicantia : Pars affecta est primò Pulmo , qui vel per se , vel per consensum alterius partis afficitur , postea fibræ bronchiorum , musculorumquè pectoris , ac alij nervi laceffiti mediantibus spiritibus tussim excitant , nec excludenda venit trachea fibris suis quoquè instructa ; Signa Diagnostica jam per se nota sunt , unde per Adagium dicitur , tussim , & amorem dissimulari , & abscondi non posse ; Nunc igitur pergamus ad causas , quæ in casu nostro , sunt particulæ in sanguine cuspidatæ , acutæ , & ferientes , quæ per cruoris circulum ad partes supradictas pectoris derivatæ , illas vellicant , atquè molestè pungunt , & sic motum præternaturalem excitant , qui formalitèr tussis dicitur ; tales autèm irritantes particulæ ortum habuere à nimio succi limonum usu , & à valido frigore , quò



imbutę fuerunt Potiones innordinatò desumptę; Frigidum enim pectori inimicum esse docuit. maximus Medicorum magister Hippocrates.

Quò ad Prognosim observandum, in nostro casu, tussim non esse affectum spernendum, qui diù durat, & contumax est, ut advertit doctissim. Franc. de Leboe Sylvius; immò addit Clariss. Ettmulerus, timendum ne sit Phtiseos Prodromus; Capiti, & oculis tussim molestam nocere volunt multi, ideòque citò ad hujus affectionis est deveniendum curationem, nè æger in peiorem incidat morbum.

Curativè igitur indicationes erunt in casu nostro tollere irritamenta, dulcificando cruoris acredines, retundendo, & hebetando cuspides ferientes nerveas partes illarum particularum, quę propriè causant tussim; demùm, eas è corpore elliminare, atquę pectoris partes corroborare; Ad quę assequenda, ad tria Medicinę brachia deveniendum, & primò ad Pharmaciam; ex quà expiatis primò communiter primis viis, & prò præparantibus exhibitis ad plures



res dies Syrup. de hyssoppo , de prassio , & jujubino ; ad usum Lactis asinini per longum tempus est deveniendum ; Indè pulverem Haly comendarem , ocul. Cancr. , Confer. ros. recent. ; Mixtura Pectoralis non exigui est usus , sicuti Ferculum Saxon. Syr. de Erysim. Lobelj. , & liquiritiæ succus ; Balsamum Sulphuris comendatur à Rob. Boyleo in tract. Philos. experim. , & decoctum Raparum à Joanne Cratone in Epist. Medic. , & si lubricare aluum oporteat , usum Clysterum ex lacte vacino chaliceato , aut ex ol. amigdal. dulcium , confectorum laudo fretus autoritate celebris Malpighj in cons. 32. , quas Consultationes recentèr collegit , atquè Typis Patavinis publicè juris fecit Clarissimus , atquè omni laude dignus *D. Hieronymus Gaspari*. Opia-  
ta rariùs esse adhibenda monet Ettmuler. , cum Valdfcmidio , qui sudores conducere scribit ; Usus spermatis ceti , & myrrhæ approbo ; linimenta verò tanquàm parùm utilia , vetulis credulis linquo , quæ in tussi non tantùm pectus , verùm etiàm plantas pedum inungunt ; Ex Chirurgia susci-



pienda est Venæsectio , quæ licet à Practicis tantoperè non comendetur , magnæ tamèn solet esse efficacix , ut in monit. suis ait Valdschmidius ; Hic autèm obiter noto, similem casum observasse temporibus suis Amstelodamensium Medicorum lumen Nicolaus Tulpius lib. 4. observ. medic. num. 21. , qui tamèn casus solo Raparum Decocto fuit curatus . Dieta deniq; sit blanda , ità ut suavibus particulis demulceat partes membranosas , & fibrosas , ideòque fugiat Ægrotus noster à cibis acribus , falsis, aromaticis , aliisque alimentis serum fluxile , & acutum reddentibus ; Potus sit ptisana Veterum , vel decoctum hordei cum passulis , Vinum fugiat maximè generosum , ob particulas acidas , quas in se habet ; Motus , & quies mediocritèr se habeant ; motus enim nimius humores agitando laticem acriorem reddit ; Aer impurus , & frigidus nocturnus , cane peius , & angue vitetur ; Læto sit animo ; dùm hæc pauca ego indico prò salute nostri Juuenis tussi pertinacissima ægrotantis ; Faxit Deus &c.

CON.



## CONSULTATIO VI.

*De Astmate .*AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
HIERONYMUM BARUFFALDUM*Philosophum Eruditissimum .*

**P**Roponitur mihi curandus Rev. Sacerdos ætatis annorum 60. habitus carnosus , qui quatuor ab hinc annis correptus est quadam spirandi difficultate , præsertim in assensu scalarum ; modò magis invaluit hic affectus , adeò ut fermè continuus sit factus , & nocte decubitus sit difficilis ; Anhelosus igitur , & suspirosus difficilimè trahit spiritum , adeò ut ob pectoris angustiam , suffocationem timeat ; & hæc ex historia dicte affectionis desumpta fuere ab Excellentiss. Viro Curante elegantè exarata , atquè ad me transmissa .

Ex quà colligo Reverend. Sacerdotem Astmate premi , & non incipiente , sed in-

ve-



veterato , & ad quatuor annos protracto ;  
Hic affectus à multis caducus pulmonum  
nuncupatur , & est difficilis respiratio ferè  
semper absquè febris , cùm sonitu , & stre-  
pitu à cellularum pulmonis , & bronchio-  
rum obstructione originem trahens ; undè  
pars affecta sunt bronchia , seù asperæ ar-  
teriæ propagines , non exclusis vesciculis ,  
& vasis sanguifluis materiam vitioso . visci-  
dam afferentibus ; Causa est materia cras-  
sa , & glutinosa , ductus , & pulmonis  
vesciculas obstruens ; & hoc dignoscitur ,  
ex eo quod à Famulo Ægrotantis intelligo ,  
per tussim enim sæpè ipse Rev. Sacerdos  
crassam materiam excernit , & quò magis  
illa excernitur , tantò magis affectus immi-  
nuitur ; quia verò materia vitiosa , & vi-  
scida ab humoribus circulantibus assiduè ad  
pulmonem defertur , atquè ibi deponitur ,  
hinc est , quod licèt æger à materia sta-  
gnante exoneretur , tamèn Astma conti-  
nuum humorosum perseverat ; Prognosim  
quod concernit , advertendum , quòd , cum  
vita , & respiratio pari passu ambulent ,  
iste affectus astmaticus , sit valdè pericu-  
losus ,



lofus, & maximè quia contumax est, & quatuor annorum soboles; ex quò dubitari potest, insignem pulmonis læsionem inductam esse; Quia verò expectoratio, & excreatio cum aliquo lævamine succedit, ideò spes erit paroxysmorum ferociam mitigari posse; Timendum autèm, ne sub morbi hujus contumacia Rever. noster Patiens, vel cacheticus, vel hydropicus fiat, quod tamèn Deus avertat; Indicationes itaque medicæ in nostro casu erunt depurandi sanguinem à materia viscida, ac glutinosa, eamquè, vel per diuresim, vel per diaphoresim educendo, & partes affectas corroborando; Prò quibus assequendis ad Medicinæ practicæ ordinarios fontes vertendum est; & primò quoad Dietam spectat, quia victus ratio constat ex rebus nonnaturalibus; ideò primo aer sit moderatus, serenus, siccus, non tamèn estuans, è contrà frigus vitetur, ex hoc enim humores faciliter conspissantur; Cibus sit attenuans, nè materia crassescat, isquè condatur herbis aromaticis, pectoralibus, hyssopo scilicèt, fœniculo, Salvia, &c.;

Ab.



Abstineat à Caseo , carne suilla , à leguminibus, omnibusquè illis , quæ crassum , lentumquè succum generant ; Vinum sit tenue , ac variis herbis pectoralibus medicatum ; Somnus sit moderatus , nec sit diurnus ; Alvus quotidie servetur lubrica , & sicuti ira , & mœror lædere possunt , ita Gaudium conducit ; A pharmaceutico fonte duo remediorum genera desumi possunt , unum in paroxismo , alterum extrà paroxysmum ; quò ad primum Syrupum de Tabaco , & de Eryfimo comendo , una cum balsamo Sulphuris , & spermate ceti ; ad secundum verò primò oportet blandè aluum sollicitare modico Cassiæ cum pul. Crem. tartar. , vel ol. rec. amigdal. dulc. , indè exhiberem ad plures dies Serum Caprinum depuratum , postea lac asininum cum saccharo fino , more consueto per xx. saltem dies ; Comendabilis etiàm est usus Syrupi de Helenio Horatj Augenij , cujus formulam habet Doleus in Encyclo-  
pedia med. pract. , sicuti pillularum sequentium , idest ; *R. Pul. millepedum pp. drac. ij. , Flor. belzoin. , Salis succini ana scrup.*



scrup. ij. , Extract. helenij , Castor. ana  
scrup. sem., croci scrup. j. , Therebintinæ  
q. s. m. f. S. A. pillulæ parvæ quarum as-  
sumat Æger quatuor omni vespere; Gumm.  
Ammoniac. tamquàm egregium expecto-  
rans , ac incidens comendatur ab Ettmu-  
lero ; Flores sulphuris extrà paroxysmum  
prò pulmonum conservatione , atquè si lèsi  
fuerint , restitutione fœlicitèr usurpari pos-  
sunt , nempè ℞. Flor. sulphuris , Saccari  
ana q. s. , notandum tamèn , nè nimis abu-  
tatur Æger noster faccaro , & saccharatis ,  
proptèr facilem effervescentiam , ob quàm  
multi exasperantur morbi , & præcipuè  
pectoris , viscidiora reddendo excrementa,  
& putrilaginem , & corruptelam pulmo-  
nis magis intendendo ; Usus pulveris Vi-  
perini , etiàm laudavit Jo: Fortis in suis  
Consult.

Deveniendum tandèm ad Chirurgiam ;  
ex quà si Paroxysmus sit talis , ut metum  
incutiat suffocationis , tunc statim vena  
secetur , ut sic circulatio in pulmonibus  
paulùm impedita promoveatur ; cæterùm  
postea Venæ sectio per se in Astmatis cu-



ratione methodica nullum locum habet ;  
 Quibus ritè, & ex præscripto modò obser-  
 vatis per divinam benedictionem salus per-  
 fecta erit speranda, quod faxit Deus &c.

## CONSULTATIO VII.

*De Melancolia hypocondriaca.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
 ANTONIUM FRAN. BOTTICINUM  
*Medicum Præstantissimum.*

**M**Edicos in decernenda ægritudinis  
 Honesti Civis nostri Ferrarien. se-  
 de, discrepantes habuisse sententias  
 mirari non oportet, quia, Hippocrate te-  
 ste, in morbis internis si Medici decipian-  
 tur, sunt excusandi, quemadmodum po-  
 steà inculpandi sunt, ait Mercurialis, si  
 in externis, & sensibus ipsis subiectis mor-  
 bis, allucinentur; Nos tamèn sensum no-  
 strum supèr hoc casu breviter exponemus;  
 Ho-



Honestus Vir annor. ætatis 47. variis ob-  
structionibus, & præcipuè lienis, affectus,  
post cibi assumptionem, anxietates in præ-  
cordiis sentit; profundis, ac assiduis cogi-  
tationibus detinetur, ità ut ad interroga-  
tiones aliquandò non respondeat; hypo-  
condriorum adfunt tensiones, ac tandèm  
immaginatur multos habere morbos, quos  
realitèr non habet; Ex quibus colligitur  
præsentem Ægrum melancolia hypocon-  
driaca affectum esse; hoc est Delirio sinè  
febre; Hujus morbi generatio obscurissima  
est, quoniam Natura in cerebro fantasie  
actus exercet, & aliorum sensum interio-  
rum modo adhuc ignoto, & difficili ex-  
plicatù; ut ingenuè fatetur Clariss. Mal-  
pighius in suis Consil. à præstantiss. D.  
Gaspari evulgatis pag. mihi 45. Nonnulli  
putant stomachum affici, alii mesente-  
rium, Pancreas, & lienem accusant, cer-  
tum tamèn est, ex sectione Cadaverum hy-  
pocondria denatorum, modò observata  
fuisse vitia in ventriculo, modò in mesen-  
terio, nunc in Omento, nunc in liene,  
modò in aliis visceribus; Ego prò sede istius  
mor-



morbi agnosco, globosam partem cerebri, in quâ functiones non ritè peraguntur, ut-  
potè quia cerebro subministratur sanguis  
infectus, ex eo quod ratione obstructio-  
num, nec sufficientè filtrari, nec fer-  
mentari potest, undè acidior factus, vi-  
tiatur succus nerveus, qui à corticalibus  
glandulis perpetuò separatur, & acidis  
salibus imbutus, non omnimoda pollet vo-  
latilitate, undè mens angitur, & specie  
timoris torquetur; Hippocondriorum ad-  
sunt in nostro casu tensiones, quia segniùs  
cruor movetur per vasa infimi ventris, un-  
dè retardato motu extenduntur membra-  
næ, & in nimia illa extensione, particu-  
læ illæ, quæ debent egredi per insensibi-  
lem transpirationem retinentur in muscu-  
lorum poris, abdominis, & intestinorum,  
undè flatus excitantur. Quò ad Progno-  
sim, dico hunc affectum cronicum esse,  
& curatu difficilimum, & meritò dici Me-  
dicorum flagellum, ac opprobrium, cum  
plura, immò, & generosa eludat reme-  
dia; interdum iste affectus in maniam tran-  
sit; Indicationes sunt depurare humores  
à sa-



à salibus acidis, tollere vitium in cerebro, obstructions in liene, mesenterio, &c., tandemquè viscera ipsa corroborare; quæ ut peragantur primò ad Pharmaciam deveniendum est; & alvus est lubricanda lenienti remedio, cavendum tamèn à catarcticis, nàm hæc majorem excitabunt confluxum ad partes affectas, & quia noster Hippocondriacus est Flatulentus, ideò admodum conducere posse enemata puto; Usus succorum depurator. fumar., boragin., & Cicor., per plures dies laudo, quibus succis addi potest tinctura chalybis; Deindè bonum erit uti fero caprino cum stibio diaphoretico; quin, & lactis asinini usum præscribit Clariss. Malpighius; Pulv. ocul. Cancr. pp., & rasur. eboris egregii sunt usus. Rotulas Diarodonab. non improbarem, & essentiam Croci, teste Clariss. Zannicchello. Ex Chirurgia sanguis mittatur per hæmoroidales venas ope hircinorum, atquè nihil aliud ab hac Medicinæ parte sumatur, quia sperandum est, teste Clariss. Jo: Fortis, talem morbum medicamentis sinè ferro, & igne magna



parte cessurum ; Interim victus ratio non sit rigida , sed moderata ; Vinum alteretur infuso Chalybe , croco cibus condia-  
tur ; Potus Chaffè , & Thè utilis erit ; Ab-  
stinendum à carne suilla , leporis , aujū  
acquatic. , ac cibus ex pasta paratis , à Le-  
guminibus præter Hordeum , & Orizzam ;  
Somnus maximè nocturnus valdè proderit ;  
sicut exercitium moderatum ante cibum ;  
Animi passiones , tamquàm salutis oppositæ ,  
juxtà Clariss. Terenzonum de Valet. tuen-  
da exercit. 8. vitandæ , & gaudio , at-  
què hilaritati studendum ; spiritus enim  
tristis exsiccat ossa ; Pauca autèm hæc di-  
cebam prò confirmatione eorum , quæ  
à Doctissimis Viris proposita fue-  
re , quorum iudicio libens  
me subiitio ; Faxit  
Deus , &c.

\*\*\*

\*\*\*

\*

CON.



## CONSULTATIO VIII.

*De Sputo Sanguinis, &c.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

JO: DOMINIC. BENETTUM

*Medicum Præstantissimum.*

**Q**Ui historiam medicam , supèr quâ consilium meum , & si parvi pendendum , mihi tulit, Sacerdos quidam venerabilis fuit , ex illustri Jesuitarum Collegio satis eruditus , & summa bonitate præditus , quales solent esse omnes alii illius Illustrissimæ Religionis , à me perpetuò venerandæ , atquè vero amore jugitèr prosequendæ . Historia Affectionis talis est . Civis cujusdam Nobilis Filius annorum ætatis 21. , post nimiam incalescentiam , atquè violentum exercitium in venatione incidit in sputum sanguinis spumosi cùm tussi , præcedente titillatione , & pruritu in aspera arteria , & præsertim in



ejus principio; variis tentatis remediis convaluisse videbatur, sed falsò, tres enim post menses iterum tussis invaluit, & Hemophtoe recrudit; ità ut cum quadam violentia ultimò loco sanguinem vividum floridum, ac spumofum ad pondus ferè unius libræ excrevit; ità quod vomere videretur; nunc remedia quærit non tantum prò præfenti curatione, quàm prò præfervatione; supèr quam historiam Juvenis præfentis Hemophtoici fic confulo.

Graviores intèr pectoris affectiones sanè, & omnibus annuentibus Practicis est spum sanguinis; potest verò hic triplicitèr à pulmone exire, per anastomosim videlicèt, idest per osculi vasis aperitionem; vel per diapedesim, nempe per transfudationem, vel per Dièresim, hoc est per rupturam vasorum, quàm ultimam timeo accidisse in nostro casu; qui est rejectio cruoris per os cùm tussi, sinè inflammatione à vasorum pulmonalium ruptura ortum habens; Pars affecta propriè est Pulmo, ejusquè vasa, membranæ, & vesciculæ; Causa est sanguinis acrimonia, unde



dè particulæ acres suis cuspidibus feriunt , ac errodunt partes supradictas , atquè continuum solvendo , sputum Sanguinis excitant ; Consultationis methodus nunc postulat , ut ad Prognostica calamum veritam , & quid de Ægri nostri salute sperandum sit candidè fatear ; idcirco primò cum Hippocrate dico , quamcunque sanguinis supernam ejectionem malam esse , à disrupto enim pulmone , supuratio , & tabes timendæ sunt , a sanguinis enim sputo puris sputum , à puris sputo Phthisis, sunt verba magni nostri Præceptoris ; quia verò in juvene præsens affectio est divite , atquè præcepta medica summa obedientia recipiente ; sperandum , ut assumptis ab Arte præscriptis remediis salutem recuperet , ut ex corde voveo ; Indicationes ergò curativæ sunt dulcificare massam cruoris , & aperturam pulmonis claudere , atquè consolidare ; Quibus ut satisfaciamus ; ad tria medicinæ lumina vertendum , nempe ad Chirurgiam , Pharmaciam , & Dietam ; & quò ad primam ; iniecto priùs clystere , vena cubiti dextri aperiatur , & si.



cruor in magna copia ; & quantitate exiret, venam etià pedis erit secanda ; Ex Pharmacia sumatur succus Urticæ , cùm pilul. ad Hemophtoem D. Helvetii , quibus sæpè fœlicitèr utor in Praxi facienda hic Ferrariæ prò sanguinis quibuscumquè effusionibus ; Decoctiones insupèr conducunt Plantaginis , Malvæ , Cicor. , Boragin. , cum pul. ocul. Cancr. pp. ad plures dies , postea ad usum lactis asinini cum saccharo more solito confugiendum est , & hoc per 40 dies ; vespere autem utatur conserva Rosarum , ex cujus frequenti usu aliquos etià Phtyficos sanatos esse nonnulli Authores perhibent ; Tempore verò , quò lac assumet , abstineat à vino , & ejus loco potet aq. hordei , & emulsion. quat. sem. frigid. maior. , & loco cœnæ summat ptisanam hordeaceam ; Esus testudinum , ranarum , atquè cancerorum fluviatilium utilis erit , Carnes sint elixæ , & facilis coctionis ; abstinendo ab acidis , falsis , ac austeris tamquàm à cane , & ab angue ; & hæc sunt quæ à Dieta præscribi possunt ; Somnus , & Vigiliæ non excedant Limites

me.



mediocritatis, & ab ira, aliisque animi vehementioribus affectibus abstineat Æger, ut optatam recuperet salutem. Faxit Deus &c.

## CONSULTATIO IX.

### *De Pleuritide.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
NICOLAUM BELLAM

*Medicum Præstantissimum.*

**H**onestus Mercator annorum ætatis 40. Mense Februario, aere inclementiore, & frigidioris existente, per diem personatus incedit, atque bacchanalia celebrat, domum reversus defatigatus assumit haustum magnum vini generosi, ad sitim, quæ torquebatur tollendam, & ut dicebat, ad vires reficiendas; Hinc paucis elapsis horis, horror totum ejus corpus invadit, cubile petit, obdormit spatio



duarum horarum, expergefactus sentit dolorem, sed obscurum sub mamma dextera, indè corripitur febre, cum dolore, & rigore, dolor augetur cum tussi sicca, & cum spirandi difficultate, pulsus est durus, & frequens, urina turbata, tandè expuit sanguinem in modica tamèn quantitate; Auxilium petit ab Arte nostra.

Ex signis in historia ennarratis, colligitur nostrum Ægrum vexari pleuritide, cujus pars affecta est pleura membrana scilicèt, quæ costas internè vestit; una cum dextra pulmonis parte, certum enim est in quavis pleuritide pulmonis partem inflammari, sicuti in Peripneumonia ambo latera pulmonis inflammatione corripuntur, & hoc Hippocrates docet de loc. in homin., sicuti Herophylus, Bonettus, Doletus, Celsus, Platerus, & alii tam antiqui, quàm recentes Medicinæ Magistri; cum enim substantia pulmonum sit valdè apta ad inflammationem, quia mollis, spongiosa, rara, & porosa, hinc est quòd facilè obstrui potest indequè erisipelatosæ inflammationes oriuntur; quæ originem ha-

bent



bent à sanguine crasso , & lentefcente vicio aciditatis contractæ , à quâ coagulatio dependet ; & cùm fixatæ in pleura particulæ acres evadant , ideò dolor insurgit pungitius , particularum enim acrium cuspides feriendo pleuram sensu exquisito præditam , solutionem continui inducunt , undè acutus dolor invadit ; causæ verò remotiores sunt in nostro casu , insensibilis transpiratio impedita , exercitia vehementiora in solemniis Bacchanalium habita , quatenùs ista fermentant magis cruorem , undè hic impetuosior redditus per arterias , & venas fertur , indèque faciliùs extrà vasa effluere potest , imprimis si subitò in suo motu impediatur , & in pleura , & pulmone sistatur , tunc enim vasa nimium distenduntur , atquè indè facilitè rumpuntur ; ex acredine verò illarum particularum irritante , tussis sicca primò oritur ; Vis causis , nunc ad Prognosim veniemus ; Pleuritis igitur cum sit morbus acutus semper est timenda ; morborum enim acutorum , juxtà Hippocratem , incertæ sunt prænunciationes Salutis , aut Mortis ; Si  
pul.



pulsus sit parvus, & creber, atquè ferratus nunquàm periculo carere ægrum, ait Jungken in sua Praxi; si sputum appareat ante quartam, & sit album, leve, & æquale, septima die terminabitur morbus; Urina, est inspicienda, & si sit mala cum sedimento copioso sputis tamèn bonis rem salvam esse docuit Valdisemidius, cùm citato Jungkenio in sua Praxi. Indicationes curativæ erunt, coagulationem in parte particulari auferre, sanguinem ab aciditate coagulante liberare, dolorem lenire, atquè vires conservare; Quibus ut satisfiat; ad Chirurgiam primò recurrendum, & ab ista primò præmisso Clystere, sanguinem mittere è vena brachii dextri opus erit, ipsamquè operationem repettere tamquàm necessariam, & summè proficuum, ut monet Clariss. Barthol. Corte, prò V. Sect.; Ex pharmacìa desumantur pulveres dent. apri pp., sangu. hirci pp., mandib. luc., ocul. Cancr. pp. cum aq. Papau. erratic., Gramin., Endiviæ, & Hordej; Utiles erunt medicinæ diureticiæ, & sudorificæ mitiora omnem absolvere paginam inquit Val.



Valdesmидius in Monit. medic. diaphoresim enim juvare ait Clariss. Pascolus in observ. medic.; sicuti Opiatis, ceu infidis remediis hic non admodum fido. Elect. pectoral., Syr. de hibisco, de hyssopo, Jujubin. comendarem; externè Ol. noster de cucurbita antipleuriticum semper adhibeo non sinè juvamento; Purgare autem in tali casu esset eum magno exponere vitæ periculo; Quoad Dietam verò, notandum eam tenuem esse debere; Vinum omninò vitetur, & huc facit illud observatum Brasavoli inclyti Medici nostri Ferrariensis. in lib. 1. Hippocr. de rat. vict. in acut. præsentissimum esse venenum in laterali morbo, vinum præsertim in principio. Prò potu igitur sit decoct. Hordej, & aqua pectoral. nostra; & hic paritèr advertendum nihil nocentius in Pleuritide esse, & quod malum magis exasperare soleat, quàm potus frigidus; tepida ergò debet esse potio; Si adsint vigiliæ urgentes emulsiones papaveraceæ non erunt absquè effectu; Quò ad excreta, & retenta melius est aluum suppressam habere, quàm laxam, cum ex  
Hip-



Hippocratis sententia purgantia noceant ,  
 quod etiàm docuit Clariss. Doleus. Sed jam  
 tempus est , ut vela contraham , & de hac  
 Pleuritide satis , superquè ; Deum itaque  
 O. M. deprecor , ut salutem optatam Mer-  
 catori nostro restituat.

## CONSULTATIO X.

*De Cordis palpitatione frequenti.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

JACOBUM CICOGNINUM

*Medicum Prestantissimum.*

**E**Xactissima , & Eruditissima morbi  
 nobilissimæ Matronæ à Te ( Vir Ex-  
 cellentissime ) ad nos missa historia ,  
 demonstrat nostram Ægram vexari cordis  
 palpitatione ; Hæc enim , ut colligo , est  
 nobilis mulier vidua annor. 39. , quæ post  
 vehementes animi passionēs , post Mariti  
 mortem , sæpiùs immani , ac frequenti  
 pal-



palpitatione cordis corripitur, summa cum anxietate, & animi deliquio; deficit autem in mensium fluxu; nunc scire desiderat à me, quæ hujus morbi sit causa, & quomodo sanari possit; circa quod breviter respondeo, istam nobilissimam Viduam affici cordis palpitatione, quæ deffinitur a Doctoribus inordinatus, ac convulsivus cordis motus, sive concussio, cujus causa est quidquid musculos cordis, aut nervos moventes irritare potest; & in nostro casu hæc irritatio fit à particulis salino-acribus in sanguine existentibus, quæ per arterias coronarias deponuntur in parenchyma Cordis; per intervalla verò malum urget, quia sanguis non semper eodem modo dispositus existit; vitium autem sanguinis hoc dependet à catameniorum defectu; Quò ad Prognosim attinet; præ affectione periculosa palpitationem cordis agnoscit Valdesmидius, quia dicit ille, æger suffocatione facile extingui potest; Quò verò levior est, & à mensium defectu eam oriri putamus, ideò major salutis spes effulget; Palpitatio verò frequens, & ma-



& magna mortalis est, suadente Illustriss. D. Lancisio de subit. mortib.; Indicationes considerandæ nunc sunt, ad hoc, ut curationem istius effectus assequamur, iste verò sunt, meo videri; Sanguinem à particulis acribus liberare, menstrualem purgationem stimulare, obstructiones leves in vasis uteri tollere, & partes affectas corroborare. Quibus, ut satisfaciamus, in primis laudo omnia remedia ab Excellen: D. Medico Curante adhibita; indè, ut salutem optatam acquiramus, ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Dietam, tanquàm ad remediorum fontes devenio, & primò quoad Chirurgiam; in ipso Paroxismo venam secare licèt, sed vide ne excedas in quanto, ut monet Valdfcmid., extrà paroxysmum etiàm juvabit, quatenùs à vena pedis eductus cruor mensium fluxum promovet, à Chirurgia verò nullum aliud præsidium capere posse ægram nostrā cogito; Ex Pharmacia in Paroxismo exhiberi poterit sequens remedium. R. Aqu. Epilept. Lang., histeric Quercet. ana unc. j. sem., mellissæ unc ij. spirit. C.C. scrup. j.,  
Sac.



Saccar. perlat. drac. iij. m. , In hoc negotio opiata optima esse aiunt multi , quod ego non semel expertus fui ; A Purgantibus fortioribus abstinendum , Usum ferilactis , indè Decocti Rad. Chinæ , Salsæparil. Santal. ego comendarem ; sub vesperre etiàm Conserv. Betonic. , Flor. Tunic. , Boragin. exhibeatur ; Aperitiva etiàm , quatenùs aperient vias uteri comodè administranda erunt , atquè externè applicetur Theriacha cum vino , & croco , quod remedium comendat Wolfgangus Hoeferus , & post eum Burnetus . Dieta constet ex cibis laudabilis succi ; Juscula sint medicata radicibus asparag. , fenicul. , & petrosellin. , Vinum paritèr medicatum sit ligno sassafras ;

Alacri animo vivat ,

& salutem speret ;

à Domino , ut

enixè pre-

cor .

CON.



## CONSULTATIO XI.

*De Mania .*AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
DOMINICUM MAZZARELLUM*Medicum Doctissimum .*

**S**Ummus ille Philosophus Plato in Char-  
midis initio sub persona Socratis dice-  
re solebat omnes morbos , qui in ho-  
minibus generantur , ab animo originem du-  
cere ; Quod manifestum est ex Historia se-  
quenti , supèr quam consilium medicum  
petitur . Juvenula Annor. 20. ingeniosa  
valdè , ac non deformis speciei , Adole-  
scentis cujusdam amore capta , correctio-  
nes frequentes matris agrè ferens , incidit  
in obstructions , undè imminuta fuit men-  
sium fluxio , & pallidus color apparuit ;  
successit hysterica passio , à quà male ve-  
xata est ; post hanc vigilias patitur , mo-  
dò cogitabunda , & taciturna , modò ni-  
mis



nimis hilaris , & incomptè loquax , ad infaniam redacta est sinè febre ; auxilium implorat; Delirio Maniaco Adolescentulam præsentem affici manifestum est , quod definitur crudelis animæ passio cùm actionum ejus plurium , vel sensuum omnium perturbatione , præprimis delirio , cùm audacia , & furore absquè febre , à texture pororum cerebri , & ejus vasorum inversione , & circulantium humorum acrimonia ignea dependens ; Pars affecta est Cerebrum cùm suis incolis tùm passivis , tùm activis . Causa est perturbatio texture pororum cerebri , & ejus vasorum , nec non spiritus animalis , quæ omnia dependent à vitio sanguinis acrioris redditu à mensium fluxione imminuta , à passionibus animi , &c. cùm enim spirituum animalium motus , & generatio consistat in blanda sanguinis fermentatione , & dulci crasi , nec non apta pororum , & vasorum cerebri configuratione , hinc est , quod illis vitiatis , paritèr operationes animæ in cerebro vitiantur , undè delirium sequitur . Prognoseos ratione notetur , quod Mania rarò est læthalis,



etsi curatu sit admodum difficilis, maximè quando jam altas egerit radices; benè autèm sperandum in nostro casu, nam nostra patiens Juvenis est, nec in morbo adulta; Si præsens delirium somnus sedaverit, juxtà Hippocr. Sect. 2. aphor. 2., bonum erit, quin, & bonum etiàm, si cùm risu sit præsens infania, si verò ad suum statum naturalem fluxio menstruorum restitatur, tunc spes erit salutis; quàm ut celeritèr, & perfectè assequamur, primò indicationes veniunt examinandæ; indè curatio instituenda; Primaria igitur indicatio medica videtur esse restitutio, & correctio sanguinis, ità ut ad naturalem statum reducetur, ut tùm exindè laudabilis fiat succus nerveus, & spiritus animalis motus, ex quò rectè mentis operationes dependent; indè corrigere oportet vasa, ac porositates ipsius cerebri, ipsumquè corroborare; Quibus ut satisfiat, primò ad Chirurgiam deveniendum, ex quà sanguinis missio est petenda, & repetenda, à venis brachii, pede, atquè jugularibus, Hirudines, & cucurbitulæ scarificatæ applicari.



plicandæ, & tonsura capillorum commendatur à Jo; Forti in suis consult. cent. i., cauterium futuræ coronali applicatum maximè probatur à Gordonio, immò ego cōmendarem ipsam arteriotomiam; à Chirurgia gradum faciamus ad Pharmaciam; Ex quâ Tincturam florum hyperici, suadente Raio, usurpandā suadeo, sicuti emetica ex antimonio, atquè cathartica, & medicamenta ex helleboro confecta, unà cum opiatīs commendarem; si somnus enim delirium sedaret bonum esset, uti suprâ ex Hippocrate innui; A Thoma Bartholino, & Clariss. D. Luca Tozzio Amico meo semper recolendo in sua Praxi proponitur seq. pulv., ℞. pul. Gentian. drac. j., mirrhæ tantundem, pul. cancr. fluviat. ustor. duplum m. prò duab. dosib., Balnea aquę tepidæ frequentèr, & post singulas purgationes usurpanda sunt; & memini de quodam Cive nostro Maniaco, qui post purgationem, usu Balnei aquæ currentis nostri Eridani sanatus fuit; Dietetica cura nunc sequitur, undè cibus sit refrigerans, & humectans, & juscula re-



212 *Consultatio XI. De Mania.*

frigerantibus herbis sint medicata; Vinum  
perpetuo exulet, juxtà illud Poetæ

*Vina gravant animos, faciuntque furoribus  
aptos.*

& hujus loco aqua hordei bibenda; Hic  
autèm noto, Clariss. Doleum decoctum hi-  
rundinum cùm lapide prunellæ sua

experientia comprobare; immò

prò potu ordinario serum

lactis convenire, mo-

net Valdschmidius.

Quæ in præ-

senti affe-

ctione

sufficiant. Faxit

Deus,

&c.

CON.



## CONSULTATIO XII.

*De Nausea, & Vomitu.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

JOS: FLOR: VACCARIUM GIOIAM

*Medicum Eruditissimum.*

**E**X litteris Excellentissimi Medici ordinarii accepi, Illustrem nostrum Juvenem, à longo tempore nausea, & vomitu laborare multis incassum exhibitis remediis, quare à me consilium petit.

Ventriculus recipiendis, retinendisquè alimentis à Natura destinatus, aliquandò si gravetur, vel à noxijs humoribus irritetur, nausea primùm, mox vomitu afficitur; qui nihil aliud est, quàm ventriculi, atquè in specie fundi ejus, & pylori, versùs superius orificium contractivus, aut convulsivus fibrarum motus, contenta quævis per superiora rejciens, cujus levior species est nausea, subiectum ven-



trculus est cùm suis fibrillis nerveis; Cau-  
sa verò istius affectionis consistere videtur  
in particulis viscosis, & acribus, vel in  
ventriculo ipso detentis, vel per arterias  
in ipsum delatis, quæ suis irritantibus acu-  
minibus fibras ventriculi pungendo nau-  
seam primò, indè vomitum excitant; pro-  
babile enim est, inquinamenta primæ co-  
ctionis in hoc Juvene membranas ventri-  
culi amplexantia convulsionem in ventri-  
culo excitare, undè vomitus accidit; Ac-  
cedamus nunc ad signa prognostica; & pri-  
mò timendum, ne in hecticam incidat,  
ut monuit Doleus, ulteriùs vomitus con-  
tumacia semper mala solet esse, quia la-  
borat pars quædam nobilis, & cessante  
actione ventriculi tota destruitur animalis  
Œconomia; Indicationes curativæ sunt in  
nostro casu, tollere irritationem, & con-  
vulsionem ventriculi, hebetando cuspides  
particularum irritantium, illasquè eva-  
cuando, & demùm corroborare oportet  
fibras Ventriculi ipsius; Quæ ut assequan-  
tur ad tria Medicinæ Brachia devenien-  
dum, nempe ad Pharmaciam, Chirur-  
giam,



giam, ac Dietam, quibus mediantibus salus sperari potest; & quò ad Pharmaciā laudo frequentem usum olei amigdal. dulcium sinè ignè extracti, ut & feri capri-  
ni colati longo tempore usurpati, cùm Gelatina C. C., tandem cùm Clariss. Malpighio lac asininum propono, quò irritatio demulceri potest, & si quid exulceratum esset potest detergi, ac consolidari; Com-  
mendarem præterà Specific. stomatic. Poteri, Sal. Absint., Aq: Menthæ, Laud. opiat., & Syr. de cortic. Citri, cùm succo cydoniorum; Exteriùs apponatur empla-  
strum de Crusta Panis, aut aqua rosar. cum modico camphoræ, & succo limonum prò linimento; Utatur sæpè Conservis Ci-  
donior., Rosar., ac totiùs Citri, ut & Chi-  
na Chinæ, suadente Clariss. Nigrifolo no-  
stro, in Feb. chin. curat.; Ex Chirurgico Fonte nihil assumerem in nostro casu;  
Dieta sit moderata, & fugiantur legu-  
mina, dulcia, & pingua; atquè condian-  
tur aromatibus esculenta; cùm cibo con-  
veniet balsam. peruvian., & Chocolata,  
Vinum hispanicum in modica sumptum



216 *Consul. XII. De Nausea &c.*

quantitate juvare potest, sicuti fructus cydonius cum emulsionibus ex amigdal. dulc. Pauca hæc scribebam in tali ventriculi affectu, quæ itaque subijcio acri judicio Doctissimorum Virorum. Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO XIII.

*De Cardialgia.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
DYONIS: ANDR: SANCASSANUM  
*Medicum Præstantissimum.*

**C**Ivis noster Ferrarien. ætat. annor. 41. post longum itèr tempore æstivo, feбри corripitur cum stomachi immani dolore, erosione, & morfu, ità ut penè mori se sentiat; auxilium petit. Morbus istè Cardialgia est cum feбри, quæ affectio definitur dolorifica sensatio excitata in ventriculo à particulis acrioribus in eo contentis, orificium ejus superiùs convulsiva



sive constrictione irritando , & rodendo  
afficientibus; Subiectum istius est propriè  
sensibilissimum ejus ventriculi orificium su-  
periùs , non exclusis etiàm reliquis ipsius  
visceris partibus; dolet autèm magis ori-  
ficiu superiùs , cùm longè copiosiores  
nervos habeat , qui per illud diffunduntur;  
Cardialgia verò dicitur , quia æger , ob  
istum dolorem animo deficit , & sudore  
exsolvitur , undè Galeno Duce , Sapiens.  
D. Lucas Tozzi , hanc affectionem synco-  
pem stomaticham appellat . Causa istius  
affectus immediata est rosio orificii superio-  
ris ventriculi , totumquè nervosum genus  
per consensum trahens ; quam causam  
suppeditat omne id , quod figura sua acu-  
ta , & pungente , dictum orificium ven-  
triculi quovis modò potest ledere ; Non  
excludit etiàm Franc. de Leboe Sylvius ha-  
litus ascendentes ad dictam partem cùm  
acriores fuerint ; sicut contingit porum fel-  
leum natura tam proximum Pyloro super-  
fluitates biliosas è sua cysti deponere in duo-  
denum intestinum , ex quò in ventriculum ,  
ut subindè Cardialgia accidat ; & similiter



dicendum de succo pancreatico . Prognosis , morbum hunc periculosum pronunciat , si diutiùs duraverit , siquidem pars ista ventriculi affecta exquisito adeò sensu pollet , ut in consensum trahat utrumquè principium vitæ , nempe cor , & cerebrum proptèr nervorū à cerebro manantium copiam , undè Galenus dicebat , os ventriculi in sui consensum animam ducere ; immò observavit Trallianus , quod si humores erodentes pertinaces sint , æger brevè morietur .

Citò ergò indicationes videndæ , & his satisfaciendum est ; istæ sunt , materiam acrem ledentem internè stomachum dulcificare , educere , atquè omninò eliminare , ulterius ventriculum corroborare , ac ipsi suum naturalem tonum restituere ; Quibus , ut satisfaciamus , ad tria Medicinæ bracchia deveniendum , nempe ad Chirurgiam , Pharmaciam , atquè Dietam , ista enim Praxeos Medicæ magna sunt lumina , sinè quibus nihil ; Ex Chirurgia igitur desumatur venæ sectio non tantum ob febrem , sed ad avertendam inflammationem

nem



nem , quæ de facili posset excitari à particulis errodentibus ; sic apud Hippocr. in Epid. Vir vehementi dolore ventriculi correptus, secta vena in utraqùe manu, & sanguine educto , liberatus fuit.

A Pharmacia vomitorium primò comendarem fumendum, ut monent Guil. Fabric. Hildan. , Felix Plater ; Mart. Rulandus, Mich. Ettmuller. , Jungken , aliqùe plures ; Summè conferunt coral. rub. pp. , Crystal. Mont. pp. , Ocul. Cancr. pp. , Margar. pp. , omniaquè alckalia/acredines acidas imbibentia ; Opiata maximi sunt usus , clysteres proderunt , sicuti serum depuratum, emulsion. quat. semin. frigid. maior . Externè Emplastrum de crusta panis laudo cum succo agrest: , aceti loco paratum; Hisce remediis addatur congrua victus ratio , circà quam notat Jo. Fortis tardiùs cibũ sumere esse nocuum; ideò Celsus cibum paucum , & sæpè exhibebat ; vinum absintites comendatur à Jungkenio, ut & decoctum falsæ paril. cum cinnamomo, prò potu sit ordinario; Quæ omnia D.O.M. prò votis propitia reddat.

CON-



## CONSULTATIO XIV.

*De Singultu.*AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
BERNARDINUM GIBERTUM*Medicum Præstantissimum.*

**A** Deò clara , & manifesta est Morbi ,  
 qui nostrum Civem torquet , Natura ,  
 ut supervacaneum omninò sit  
 diutiùs in ea indaganda immorari , est singultus  
 valdè frequens molestiam inferens ,  
 ac somnum impediens ; quæ affectio defini-  
 niri potest per motum convulsivum inter-  
 polatum diaphragmatis in consensum tra-  
 hens ventriculum , & vicinas partes ; un-  
 dè Dolèus prò subiecto cognovit ventricu-  
 lum secundum fibrillas suas , nervos , &  
 tunicam cum diaphragmate communem ;  
 Causa hujus affectus provenit ab humori-  
 bus , vel vaporibus , aut copia , aut qua-  
 litate acri peccantibus , & ad membrana-  
 ceum



ceum diaphragmatis centrum, vel medium penetrantibus, ipsumquè pungendo, vel rodendo, vel agravando ad convulsivum motum irritantibus; Fatetur autèm ingenuè, ac candidissimè Sydenam in obs. de morb. acut., se sibi metipsi de singultus causa disquirenti satisfacere non potuisse; Hippocrates verò, eum provenire ex inanitione, vel ex repletione statuit; Quò ad prognosim attinet, notandum, quod, quia est sinè febris, idèò periculo vacat, si verò cum febre jungeretur periculosus esset; Cæterùm si nostro patienti sternutatio supervenerit bonum erit, docet enim Clariss. D. Lucas Tozzi Amicus meus semper recolendus, sternutationem remedium esse singultus, concussione enim, ea, quæ ventriculi tunicas vellicant facilè excutuntur, & ablegantur; Indicationes erunt materiam irritantem cicurare, atquè educere, & ventriculo, aliisque affectis partibus robur addere; Quæ ut fiant, ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Dietam deveniendum, ut sic salutem optatam Patienti nostro restituamus; ex primò igitur  
re.



remediorum Fonte, levitèr purgare convenit ventriculum, & si æger non abhorreat, vomitus levitèr excitandus, ut causa, si quæ esset in stomacho educatur; ad cuius verò correctionem non tantùm oleũ recens amigdal. dulc., emuls. sem. quat. frigid. mai., sed cremor ptisanæ, juscula pingua, cum ocul. Cancr. pp. comendarem; Valdesmadius præcipitantia, Ebur, C.C., & Crystal. mont. pp. laudat., & Clariss. Pomp. Sacchius Parmensis Collegii Lumen hodiernum, mixturam Sylvii præscribit, quæ talis est. R. Aq. Menthe unc. ij., Theriacal. unc. sem., confect. alchem. drac. j., laud. opiat. gr. ij., Syr. Menthæ unc. j. m. Extrà maximè convenit fots ex aceto valdè acri cum castor., pipere, & Synapi benè calido per spongiam ventriculi regioni applicatus monente Rod. à Fonseca; immò Jo: Hartmanus extemporaneum prò singultu remedium esse ait thoracis compressionem; Ex Chirurgia nihil petendum, nisi in casu timoris, ne inflammatio succederet, tunc enim Venæ sectionem instituerem in pede dextro;



tro ; Fugienda tandèm sunt omnia frigidà , acida , flatulenta , acria , & consequentèr vinum , quod nerveis partibus est inimicum ; Prò regula enì eìt , vinum in omnibus morbis convulsivis non convenire ; Prò potu , itaquè ordinario inservire poterit Decoct. hord. cùm tantillo Cinnamomi , vel galangæ paratum . Victus ergò sit tenuis , optimi nutrimenti , ac facilis concoctionis . Exercitium confert antè cibum , hilari sit animo , ut comple-

tam adipiscatur sanitatem , quàm

à D.O.M. , & nos eidem

nobilissimo Civi ex cor-

de precamur .



CON-



## CONSULTATIO XV.

*De Lienis Obstructione.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
HYACINTHUM AGNELLIUM

*Medicum Præstantissimum.*

**E**X his , quæ non minùs elegantè ,  
quàm abundè de mala nobilissimi  
Viri valetudine , scripsit Excellentiss.  
Medicus assistens , facile cognovi , præsen-  
tem affectionem esse lienis Tumorem , idest  
obstructionem pertinacem ; quæ à pluribus  
annis ægrum nostrum vexat ; certum enim  
est , licèt Lien nullo præditus sit sensu ,  
obstructionibus fieri obnoxium , nàm quo-  
tiescumquè cruor ab arteria derivans in  
cellulis splenis ipsius stagnans , amissa sua  
fluiditate , debita felicitate per venam  
splenicam non reportatur , sed remoratus  
distendendo membranosas cellulas , ipsius  
visceris molem auget , & continentia invo-  
lucra



lucra tenfa reddit, Lienis enim ufus eft fanguinem fubtilizzare, cum autem obftructus eft, hoc munus exercere nequit, undè varia oriuntur incomoda; optimè fi quidem dicebat Valdfcmidius, humorem obftruentem aliquandiù ibi delitefcen- tem, acquirere naturam fermenti, quod poftcà variorum morborum eft Author.

Visis caufis mox Prognofis fequatur, qua- proptèr obfervandum Lienis affectiones femper effe magnifaciendas; ex annofis enim fplenis obftructionibus hydropes pro- venire poffe timendum, maximè quia ob- ftructio hepatis ordinariò antecedit Lienis Obftructionibus, teftè Sapientiff. D. Jo: Baptifta Bianchi Taurin. in hift. hepatic.

Indicationes Medicæ funt tollere tumo- rem, fanguinem volatilizare, coagulationem jàm factam attenuare indèque viscus corroborare; Quæ, ut aflequantur ad Chi- rurgiam, Pharmaciam, ac Dietam de- veniendum, & primò ex Chirurgico Fon- te, fanguis mittendus, & à vena brachij finiftri, & ab hemorrhoidibus ope hirudi- num; Mox ad Pharmaciam vertendo,



instituat<sup>r</sup> levis , & communis purgatio , post quam , usum juris columbini calybeati , & absinthio alterati cum celebri Malpighio proponerem , cui potioni adderem guttas aliquot Spirit. sal. armoniaci , insuper pillulas ex ammoniaco aceto dissoluto confectas ad plures dies propinarem , sicuti antimonium diaphoreticum cum Croco martis aperitivo per longum tempus ; Externè pars affecta inungatur ol. de Capparibus , vel unguento nostro de Brionia , & apponatur Emplastrum de Cicuta , juxta D. Zannicchellum . Circà Dietam demum , victus ratio sit attenuans , panis benè salitus , benè fermentatus , & benè coctus ; intereà infundatur Chalybs , & absinthium in Vino , quò in mensa uti debeat , immò cibaria ipsa condiri poterunt sale absinthij ; Vascula sui Vini parentur ex ligno Tamarisci ; Exercitium commendo , undè Aetius vidisse fatetur aliquos ex solis deambulationibus , & cursibus sanatos ; Alvus lubrica fervetur , & hilari , ac fæstivo animo vivat ; Quæ pauca scribebam prò confirmatione eorum , quæ à Doctis. Viro pro-

po.



posita sunt prò salute nostri nobilissimi Patientis; Faxit Deus, &c.

## CONSULTATIO XVI.

*De Diarrhœa.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
ANTONIUM MARIAM BONONUM

*Medicum Præstantissimum.*

**M**Orbus, qui mihi proponitur est manifestus, & Diarrhœa nuncupatur; est enim in Viro alioquin robusto, æstate media, fræquens alvi dejectio non cruenta, cum siti intensa; Hæc affectio describi potest, quod sit frequens, largior, & diuturna excretio fluidorum serosorum, & biliosorum excrementorum cum utilibus permixtorum magis, vel minùs acrium, cum torminibus; cujus causam existere puto, vitiosam succorum in intestinis effervescentiam, & eorundem particularum acriam



irritationem , undè oritur intestinorum stimulationem ; itaquè pars affecta intestina erunt, & præsertim eorundem glandulæ , atquè fibrillæ ; adiuvantes verò causæ sunt errores in victu commissi , & maximè in nostro ægrotante , qui dulce vinum recens in magna quantitate potavit , commendando etiã Uvam in copia ; undè egregiè Clariss. D. Luc. Tozzi Amicus meus semper recolendus in sua praxi docuit , Diarrhæam ab acris , acidisquè humoribus , dolorem simul , & irritamentum intestinis afferentibus , pendere , quorum humorum vitium pendet à cibis , & potibus corruptis ; Quoad Prognosim , se primo loco sistit Hippocrates in aphorism. , qui ait , quod si in turbationibus alui , quæ spontè fiunt purgentur ea , qualia oportet , conferant , & facile etiã ferrentur , & è contrà ; & tendit ad salutem cùm est mitis , ut in nostro casu ; undè salus citò est speranda , & maximè si mutatio excrementorum in melius vertatur ; Indicationes curativæ sunt educere humores peccantes , eorumquè acrimoniam temperandam , ac corrigendam esse ,

ac



ac intestinorum fibrillas corroborare ; quæ  
ut assequamur , confugere oportet ad tres  
ordinarios Practicæ Medicinæ fontes , nem-  
pè ad Pharmaciam , Dietam , atquè Chi-  
rurgiam , quibus mediantibus Deo adiu-  
vante salutis restituendum Ægrum nostrum  
brevi cogito fore ; & quò ad Dietam , Aer  
primò sit temperatus , cibi sint laudabilis  
succis , & in pauca quantitate assumantur ;  
Carnium esus nocet alvi fluxu laboranti-  
bus , juxtà Valdschmid. in Monit. Medic.  
Potus sit Aqua hordei , & Plantag. , &  
Portulacæ ; Vinum granatorum commen-  
datur à Doleo ; Somnus erit conciliandus.  
Ex Chirurgia venæ sectio erit sumenda ,  
atquè in usum ducenda , dùm tamèn Me-  
dicus assistens cognoscat , recrementa fer-  
mentiscibilia Diarrhœam causantia à san-  
guine deponi in intestina , febre acceden-  
te , sin minùs verò nullum à Chirurgia  
sperandum auxilium ; Pharmacia tandèm  
totam remediorum implebit paginam ; ca-  
vendum tamèn , nè curam Stypticis in-  
choemus , sic enim introducuntur , ait  
Valdschmidius , contumaces viscerum , &



intestinorum obstructions , quas sequitur  
hydrops de facili; & Bellonius exemplum  
exhibuit unius, qui ex cydoniatis in Diar-  
rhæe principio exhibitis, illaquè sic intem-  
pestivè suppressa illeon læthale passus fuit;  
undè tutius erit clysteribus uti ad abster-  
genda intestina , eaque confortanda , in  
quibus dissolvatur modicum Diascordij Fra-  
castorij; quèn & rahabarbarum in princi-  
pio ob purgationem assumptum juvabit ;  
indè mixturam sequentem commendatam  
à Sylvio de Leboe cochleatim exhibendam  
præscribere auderem . *℞.* Diascordij Fra-  
cast. drac. j. sem. , confect. hyacint. drac. j. ,  
Syr. myrthin. unc. j. , Aqu. Cinam. unc.  
sem. , Plantag. unc. j. sem. m. Post septi-  
mam, sequentes pulveres usurpare bonum  
erit. *℞.* Terre sigillat. M. D. Antimon. Dia-  
phoret. C.C. usti , Coral. rub pp , Terre  
Catechù , Sal. absint. , & al. hujusmodi; Ex-  
ternè ungatur ventriculi regio ol. sequenti.  
*℞.* Ol. mastic. , menth. ana unc. sem. , ci-  
donior. , ros. , absint. ana drac. ij. m. , vel  
apponatur Emplastrum de crusta panis , &  
de palmulis Galeni. Quæ prò salute istius  
Viri



Viri nostri Ægrotantis sint satis, quam sanitatem D. O. M. illi elargiri dignetur, ut ex corde precor.

## CONSULTATIO XVII.

### *De Dysenteria.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
HYACINTHUM BELLANIUM

*Medicum, & Chirurgum Præstantiss.*

**A**dolescens Ferrarien. ad iram pronus, æstatis tempore, fructibus, ac in specie peponibus nive refrigeratis, usus, cum multa vini gelidi potatione, tandem incidit in alui fluxum cum doloribus ventris; cruenta fit excrementorum materia cum torminibus paulò antè excernendi tempus; Pulsus evadit justo celerior, calor totius corporis acris, atquè febrilis, cibi adest fastidium, sitis, anxietas, tenesmus, ac vigiliæ excruciant; Ex quibus



enaratis , non est difficile judicium facere, Adolescentem hunc eo morbo conflictari , qui appellatur Dysenteria , & hæc à Medicis deffinitur Deiectio Alui frequens plus minùs cruenta , ventrem magnis doloribus , & torminibus affligens , & ab intestinorum continua forti irritatione , quandoquè cùm exulceratione juncta , originem trahens ; Subiectum ergo hujus affectus sunt intestina , tàm tenuia , quàm crassa cùm suis glandulis , ac vasis ; Causa immediata sunt , non tantùm vasa varia intestina constituentia ad excretionem irritata , sed , & ipso actu quandoquè corrosiva sive ad sanguinis effusionem stimolata , & concitata ; mediatam verò causam constituunt corrosivæ , acres , & acide particulæ humorum circulantium , in intestina depositæ , sive in ipsis intestinis vitio rerum nonnaturalium enatæ , & acres factæ ; & dolores in nostro casu excruciantes dependent à spasmodia fibrarum ipsorum intestinorum , proptereà sanguis , qui excernitur , non ex corrosis vasis derivat , sed exprimitur à ratione ejus irritationis . Febris



bris autem oritur à vitio sanguinis ope particularum acrium, undè ejus mixtio turbatur, & pulsus celerior evadit; cibi fastidium à depravato ventriculi fermento dependet; Quò ad Prognosim, Hippocrates vocat hunc morbum magnum, periculosum, longum, laboriosum, atque lethalem; si superveniet singultus tunc malum signum erit; cum verò simus in Adolescente, symptomata sint mitiora, ac vires consistent, spes adest salutis; Indicationes curativæ in nostro casu sunt mitigare acredinem, & eliminare particulas salium acrium, ac partes affectas roborare; Quæ ut assequantur; ad tres Medicinæ practicæ fontes deveniendum est, & primò ad Pharmaciam, ex quâ Rahabarbarum primò ad drac. j. sem. assumatur, ac propinetur cum Decoctione hordei; multi vomitorium in principio commendant, utpotè quò solo Dysenteriam à principio curabilem existere experimento, casu quodam facto comprobant *Albrecht in not. ad Chirurg. Bontekoe pag. 814.* Pulverem Radicis *Ipechacuanae* summoperè commendo, & antea com-

men.



mendavit Clariss., ac Eruditiss. D. Anton. Franc. Bertinus Medicinæ Professor Florentinus omni Scientiarum genere instructus in sua Medic. defensa; & hujus pulveris usu ego hic Ferrariæ curatas vidi plures Dysenterias. Notandum autem cum Sapientiss. D. Jo: Baptista Vulpino Astensi Medicinæ Practicæ maximo lumine, ac omnium virtutum genere ornato in sua Spasmologia elegantèr conscripta pag. 18. hanc radicem esse *Affarum Indorum*, quæ in pulverem redacta ad pondus dracmæ unius propinatur cum jusculo, vino, aut conserva rosar., & hæc per vomitum, & alui fluxum primas vias purgat, detergit, emundat, ab excrementis ibi morantibus cum salutis discrimine. Circà astringentia in principio non convenire puto, non enim relaxata, sed irritata sunt intestina; Crystal. mont. pp., Laud. nepen Quercet. C.C. ust. Diascord. Fracastor. Philon. persic., & Stibium Diaphoretic. partitis vicibus, à prudentis Medici Curantis peritia exhibenda, laudo, unà cum clysteribus ex lacte chalybeato, & modico Theriacæ.

Chi-



Chinam Chinæ commendat Illustriss. D. Franciscus Tortus insignis Medicus Mutin. in sua Therap. . Sequentem conservam ad unum cochleare vespere assumendam præscriberem . *R.* Conf. ros. antiq. unc. iij, , laud. opiat. gr. vj. , Confec. Alchem. drac. ij. , Syr. papau. erratic. q. s. f. ellec. S. A. Externè inungatur abdominis regio , ol. Absint. , & rosar. , atquè suprà unctionem imponatur omentum hirci castrati, & hoc tam mane , quàm vespere exerceatur , ac usurpetur ; Quod verò spectat ad Chirurgiam , nihil ab ista desumerem , sic venæ sectio exulet , & non admittatur , nisi in casu metus inflammationis intestinorum , quam Deus avertat ; Tandemquè circa vi-ctus rationem nonnulla addere oportet prò consultationis præsentis coronide . Primò igitur advertendum , quòd excrementa qualibet vice sint exportanda à cubiculo , nè ab eorum alitibus foveatur morbus , & semper vas aqua frigida abluatur , & detergatur ; immò postquàm in latrinam projectæ sunt fæces , statim aqua paritèr proiciatur , ad infringendam excrementorum



malitiam; sæpè enim contagiosæ fiunt Dysenterix; Ciborum parsimoniam commendando, cibique sint facilis concoctionis; laudo orizam cum lacte, juscula carnis vervecinæ, ova recentia; Potus sit aq. hord. destillat., vel communis calybeata, addunt nonnulli vinum granatorum; Somnus sistit omnes fluxiones, monente Jo: Forti in Consult. cent. 2., præter tamèn sudorem; concilietur igitur remediis appropriatis, & præsertim emulsionibus sem. pepon., amigd. dulc. rec., & semin. papaveris

albi; Quiete tandem opus est,

nec à cubili surgat, sed in

eo egerat; Quæ omnia

D. O. M. præd vo-

tis propitia

reddat; ut

cupio.

\*\*\*

CON.



## CONSULTATIO XVIII.

*De Dolore Iliaco.*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

BORSUM FERRUM

*Medicum Præstantissimum.*

**V**Ir nobilis ætatis annorum 60. animi candore à Natura donatus, quod hac nostra tempestate rarissimum est, post nimium exercitium sudore madidus, siti- què, oppressus, aquæ glacie nimium infri- gidaæ magnum calicem ebibit, indè ab ejus potu in sublimioribus intestinis dolo- rem sensit acutum; Domum se confert, vomit sæpè, alvus adstricta erat per qua- tuor dies; dolor circà umbilicum vehemen- tior evadit, pulsus fit frequens, calor to- tius corporis cùm siti, & vigilia; tandèm per vomitum stercorariam materiam emit- tit; nunc auxilium petit.

Ex præsentī historia facilè colligitur  
Ægro.



Ægrotum nostrum Iliaca affectione detineri, pars enim affecta in hoc morbo, est intestinum ileum, omnium intestinorum longissimum; Dēfinitur hic morbus, quod sit dolor acerbus tenuiorum intestinorum, cū pertinaci alui obstructione, & fēcum per vomitum eiectione molesta; undē Clarissimus A. M. Brasavolus noster, in tota sua Praxi nunquā vidisse ait, ileum absquē vomitu. Causa istius morbi est convulsio intestinorum tenuium, quæ derivat ab humoribus acerbis intrā membranas intestinorum sensu exquisito donatas hærentibus, undē invertitur intestinorum motus, & convulsio excitatur non sinē metu inflammationis. Prognosim quod attinet, hoc malum horrendum omninō est, & periculosum, & præcipuē in casu nostri Patientis sexagenarij. *Galenus* insuper scribit, stercora reiicere exitiale esse signum, si autē inflammatio sit facta, desperatus dicitur æger, teste *Doleo*. Attamē quā in casibus etiā deploratis, suadente *Celso*, melius est anceps experiri remedium, quam nullum; ideo curationem tentare  
non



non incongruum erit ; ad quam rectè peragendam primò erunt observandæ , & diligenter considerandæ indicationes , quæ in nostro casu , sunt inflammationem tollere , humores acres moderare , atquè expellere , convulsionem sedare , ac tonum naturalem fibris intestinorum restituere , atquè intestina ipsa corroborare ; Ut his igitur satisfaciamus , opere pretium erit ad Medicos fontes recurrere , nempe ad Chirurgiam , Pharmaciam , & Dietam ; & quò ad primam , mittendus sanguis à brachio ad pondus unciarum decem , atquè clysteres emollientes sinè sale fiant ; Pharmacia dabit oleum recentem amigdalorum dulcium ad pondus unciarum quatuor assumendum , quod *Petrus Forestus* sumòpere commendat ; *Epiphanius Ferdinandus* Mercurium crudum exhibet ; hoc autèm nonnisi cogente magna necessitate exhiberem , sicuti assumptionem pillularum plumbearum , quod remedii genus approbare videtur *Zacutus Lusitanus* ; Pro sunt etiàm Elyxir proprietatis Paracelsi , Sal. Absint. cùm succo Limon. , Laud. opiat.,



opiat. , Emulfiones. 4. femin. frigid. major. cùm Saccaro, & confect. de hyacint., & alchermes; Externè fiat fomentum ventri adhibendum hujusmodi. *Rx.* Fol. Malvæ, Altheæ, Violar., ana man. j , Flor. camomil. , Meliloti , verbasco. , ana man. semis; Semin. lini , anisor. , anethi ana drac. iij. m. decoq. in aq. com. , vel lacte , & f. S. A. fomentum ; Axungiam Taxi laudat *Dolens* , quâ totum inungatur abdomen. Circâ Dietam verò , victus ratio sit tenuis , sic conveniunt Cremor hordei , juscula caponum , &c. Somnus concilietur ,

& quies; Pauca hæc indicabam ,

eaquè subiiciebam libentèr

prò salute nobilis Pa-

tientis acri judi-

cio Excellen-

tissimi

Domini Cu-

rantis .

\* \*

\*

CON.



## CONSULTATIO XIX.

*De Febre Maligna .*AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
FRANCISCUM ALBINUM*Medicum Præstantissimum .*

**H**onestus Civis 37. annum agens negotiis multis implicitus, ventri, gulæque nimis indulgens hoc tempore æstivo, post longum iter Domum reversus, conqueritur primò de lassitudine totius corporis, mox cum exiguo horrore decubuit, cui non magnus calor febrilis successit, absquè vomitu, siti, & sinè ullo pravo symptomate; tertia die alvi fluxus apparet, cum pulsu languido: Urina sanorum urinis est similis, attamen adest summa virium prostratio, ut vix è cubili surgere possit, erumpunt maculæ in facie, & in brachiis, modò in sopore jacet, modò delirat; Domestici consilium poscunt.

Q

Eo.



Eodem ferè pacto , quò dantur homines maligni , qui boni specie simulantes alterum ledunt , ità febres aliquæ dantur , quæ placidam , atquè mitem effingunt naturam , & tamèn Patientes perdunt , & febres malignæ dicuntur , qualis est præfens nostrum ægrum infæstans ; ex signis enim pathognomonicis enunciatis in historia , malignam febrem cognoscimus , & præcipuè ex alvi fluxu , nàm Galenus de præfag. ait , perpetuum esse symptoma , fluxum colliquativum febris malignæ essentialis ; sicuti etiàm urinam à naturalibus parùm distare , ait Jo: Fortis , *quid venenum magis urget quam putredo* , quod idè esset , ac si diceretur , quod causa febris malignæ magis infænsa esset spiritibus , quàm humoribus . Sedes verò hujus morbi est ipsa massa sanguinea non exemptis tùm vitalibus , tùm animalibus spiritibus ; & quia ad felicem morborum curationem instituendam causarum inquisitio est maximè necessaria ; ideò causam istius febris nunc est inquirenda , ut exindè curativæ indicationes habeantur ; Omnes febres malignæ vel à sanguinis coagula-



gulatione, vel ab ejusdem dissolutione dependent, sicquè cogito præsentem febrem à sanguinis nimia dissolutione pendere, quæ concitatur à particulis salinis, scepticis, atquè solventibus, ab istis enim sanguinis pars sulphurea nimium agitur, undè effervescentia, & calor insequitur, & sal volatile acre sanguinis consistentiam naturalem minuit, undè prava oriuntur symptomata, quæ malignitatem sua pernitie ostendunt, ut sunt pulsus languidus, alui fluxio, & virium prostratio; Ad Prognosim quod concernit, quoniam febris maligna est ex classe acutorum, ideò habet locum id, quod Hippocr. scripsit, nempe acutorum morborum incertas esse prædictiones, adeòque febris hæc est timenda; & præstat præsagium suspendere, donec vel naturæ, vel morbi victoriæ indicia certa se obtulerint; advertendum tamèn, quod si superveniat Singultus, & æger flocos carpere incipiat, tunc erit lethale signum; quemadmodum sæpè observavi in praxi facienda spacio triginta annorum. Indicationes curativæ sunt salia solventia tollere,



massam cruoris ad statum naturalem reducere, atque spiritus, tum vitales, tum animales restaurare; Quibus indicationibus, ut satisfaciamus, primò ad Pharmaciam est confugiendum, & Clystere imposito ad alexipharmaca deveniendum ut v.g. ad usum Aq. cord. Saxon., Scorzone-ræ, Mellissæ, & card. Sancti cum pulv. ocul. Cancror. pp., C.C. philos. pp., Marg. pp., & lapid. Bezaar. occident; Profunt etiàm Gelatina C.C., Confect. Alchem., Jul. Gem., Diascord. Fracastorij, Terra sigillata, & Spiritus Vitrioli; cùm Stibio diaphoretico, & nix Ferri, juxtà Præstantifs: Zannicchellium; Ad Chirurgiam quod attinet, friccationes, atque cucurbitulæ levitèr scarificatæ conveniunt, ad sudorem concitandum, & ab intrà ad extrà, idest ad corporis ambitum causam morbi evocandam, sudorem enim laudat Clariss. Antonius Stolfinus Medic. Mantuanus; Quia verò adest alvi fluxus, omittatur Venæ sectio, ait enim Valdschmidius in suis monitis: Præsente Diarrhæa nunquam V.S. tentandam esse; immò sum in voto  
in



in malignis febribus, & potissimum in illis  
à sanguinis dissolutione pendentibus san-  
guinem mittere nocuum esse, quia salia  
corrosiva dominantur, & vires sunt debi-  
les, ut quoque docet Præstantiss. D. Joan:  
Simbenius in Exercit. . De Vescicatoriis  
nihil. Dieta tandem sit tenuis, & juscu-  
la carnis pullorum sint alterata cum radi-  
ce Scorzonæræ, & C.C. limat., Prò Potu  
utatur æger Decocto Scorzonæræ, & Sero  
Vacino destillato, nec non Aqua hordei,  
modicum vini concedatur tanquam cordia-  
le; Somnus, atq. vigilia debitam servant  
alternationem; & si vigilia nimia sit, som-  
nus arte concilietur ope laud. opiat. gr. ij.

cum conf. violar. q. s. ad conficien-

dum bolum parvum; Excreta

verò, & retenta in statu

naturali sunt confer-

vanda; Quæ ad

Ægroti nostri

salutem di-

cta suffi-

cient.

Q; CON.



## CONSULTATIO XX.

*De Febre Hectica .*

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM  
DOMINIC. ANTON. TRAVINUM

*Medicum Eruditissimum .*

**N**obilissimus Adolefcens ætatis annorum 18. ad iram pronus , & facilis ad sudorem , post præcedentes æstivo tempore , multas corporis defatigationes , & præsertim in venatione , incidit in tussim molestant , cui successit Febris tertiana duplex cum valido capitis , dorſiq; dolore ; variis ex arte adhibitis remediis die morbi undecima melius se habere incœpit , ast febricula oborta est parva , cùm tussi post cibum , & maximè nocturnis horis ; Somni sunt breves , lotia clara , & feces duriores ; nunc auxilium petit . Ex qua historia , atquè signis apertè colligitur , Ægrum nostrum febri hectica incipiente  
la.



laborare ; cujus sedem juxta veteres , esse partes solidas volunt multi , quia consumptio , & emaciatio in illis solidis , & maxime carnosis partibus evidenter apparet , cum tamen non minus indispositio sanguineę massę inhæreat , in qua latex balsamicus deperditur , unde sanguis acrem , & fermentativam indolem acquirit , & hinc Febris hectica oritur . Sic ergo in massa sanguinea , & limpha latere causam hujus affectionis non dubitamus ; Causa verò febris hecticę nil aliud est , quam discrasia sanguinis acris , & inepti ad nutritionem , quatenus caret moleculis balsamicis aptis ad nutriendum , non sine obstructione vasorum lacteorum in mesenterio , fit autem incallescencia post cibum , quia aliqua pars Chyli vitiosi , tunc sanguini admiscetur ; & tussis ad acres particulas refertur ; Febris hæc eventum habet dubium , & quando est confirmata , & ut dicunt Doctores , in tertio gradu , tunc est insanabilis : verum quia in nostro Patiente est incipiens , ideò curari faciliter posse affirmo ; Quod ut assequatur , ad ordinarios Practicæ Medici-



næ Fontes deveniendum est satisfaciendo indicationibus, quæ sunt, sanguinem edulcurare, aptumquè reddere ad nutritionem, & vasa lactea obstructa referare; Ideò lieta Chirurgia tanquam in nostro casu inutili, ac vana, teste doctissimo Ferrario in suis Respons. ; ad Pharmaciam gradum faciamus; Commendarem ergò usum ocul. Cancr. pp. , Margar. pp. , Antiectici Poterj, & Gelatinæ C. C. cum Conf. rosar. recent. , cujus tantummodò usu hecticos sanatos referunt Authores qui de Praxi scripsere; Postea ad lac confugiendum Asininum, ad xxx. dies assumendum cum modico faccari fini pulverisati, quavis mane jejuno stomacho ad pondus unciarum septem; Horis autem postmeridianis conveniet Balneum aquæ dulcis; cathartica verò fugienda sunt cane pejus, & angue; Circà Dietam demùm, alimenta sint boni succi, & cruorem edulcurantia, ut juscula caponum, Vituli cum hordeo mundato; Carnes pariter Vituli, Caponis, Testudinis, Cancros fluiat., laudo; Prò potu sit decoctum hordei cum rad. Chi.



Chinæ , & passulis , cùm emulsionibus 4.  
semin major. frigid. , Animus sit tranquil-  
lus , & letus , ex merore enim , & tristitia  
sæpiùs hæcticam febrem productam se vi-  
disse fatetur Jo: Doleus in sua Encyclope-  
dia Medica lib. 4. cap. 4. , sicquè Deo fa-  
vente noster adolescens sanitatem recupe-  
rabit , ut spero , & ex corde precor .

*F I N I S .*



## I N D E X

Rerum notabilium, tam in Adversariis, quàm in Consultationibus Medicinalibus.

## A

**A**cademia undè dicta. Pag. 127., ejus diversa natura 128., Urbium diversarum 129., 130., a quo Inventa 187.

*Æquinoctii primus observator* 148.

*Albus color quid significet* 57.

*Albæ Marinae seminis inventor* 147.

*Alphabeti Italici incrementa* 147.

*Amor maniacos efficit Amantes* 18. 20.

*Analecta quid essent* 88., *Servi dicebantur* 88.

*Apatistarum Academia* 130.

*Apoplexia. Ejus causa, & curatio* 163.

*Aprilis mensis undè dictus* 43.

*Aquam ponderandi inventor* 153.

*Aquila dimittebatur ex Rogo defuncti Imperatoris* 144.

Ar.



- Arcadum Academia* 130.  
*Arisius Franciscus laudatus* 104.  
*Armillarum inventor* 147.  
*Arpiæ fabulose* 146.  
*Asilorum usus , & inventio* 148.  
*Astmatitis causa , & curatio* 185.  
*Ater color differt à nigro* 52.  
*Atrocia facta non sunt in scenam inducenda* 66.  
*Aucupii cum Accipitre inventor* 147.  
*Augustus Mensis undè* 46.

## B

- B** *Arba virilitatis insigne . Pag. 1. 2. , non est alenda a Clericis 2. , Jovi data 3. , sacra diis 4. , per eam jurare* 97.  
*Baruffaldus Hieronymus laudatus* 100. 136.  
*Bertinus Anton Franciscus commendatus* 234.  
*Bianchi Jo: Baptista laudatus* 225.  
*Bombardæ inventor* 148.  
*Bombardinus Antonius laudatus* 89.  
*Bombycum usus , & inventio* 148.  
*Bononiensis Academia* 129.  
*Bos est omnium Animalium utilissimus* 33.



*Buona mano di Natale* 81.

# C

**C** *Alculi albi, & nigri. Pag. 53.*

**C** *Camēleon Planta, & Brutum 140., an  
ex solo aere vivat 141., ejus colores 142.*

*Capistra erant vincula 114.*

*Cardialgiæ causa, & curatio 217.*

*Carminum heroicorum inventor 149.*

*Castum Cereris jejunium 17.*

*S. Catharinæ Vigriæ solemnitas festivis lumini-  
bus Ferrariæ celebrata 84.*

*Catasta pro compede servili 115.*

*Catena vinculum 115.*

*Cedrinæ Mensæ 61.*

*Censorum munera varia 94.*

*Centauri fabulosi 146.*

*Cephalagia, ejus causa, & curatio 175.*

*Chartæ inventio 150.*

*Cborus in fabulis a quo inventus 151. (34.*

*Christiani veteres Serapidis Idolum metuebant*

*Christus Barbam gerebat 5.*

*Cibus quoties sumi debeat in die 21.*

*Cin.*



- Cincinnati apud quos in usu* 6. 7. 11.  
*Ciniflones quinam* 10. 11.  
*Cirri , & eorum usus* 6. 7. 11.  
*Colores Niger , & Albus quid significant* 53.  
*Comessatio pueris concessa* 22.  
*Compedes vincula* 115.  
*Concordium Academia* 130.  
*Concubendi variis modis inventrix* 147.  
*Consecrationes Imperatorum* 143.  
*Conspicilla an sint idem ac ocularia* 12. 13.  
*Convivia celebriora* 30.  
*Cordis Palpitatio , causa , & curatio* 204.  
*Corona e verbenis* 136.  
*Corte Bartholomæus laudatus* 202. (70.  
*Crescimbeni Jo: Marius cum laude nuncupatus*  
*Crines unde dicti* 8.  
*Crux olim pœna ignominiosa , nunc gloriæ ve-*  
*xillum* 119. (49.  
*Cyatbi tot bibebantur quot literæ in nominibus*

## D

- D** *Ecember mensis undè dictus* 48.  
*Decimatio pœna militaris* 118.

De-



- Deunx poculi genus* 49.  
*Diarrheę causa, & curatio* 227.  
*Diei partes* 137.  
*Dies atrii* 53., *albi ibi, festi, & profesti, fasti, & nefasti* 138. 139. *prælianes, atrii, & alii* 139.  
*Dini Franciscus celebratus* 69.  
*Dolor Iliacus, & ejus curatio* 237.  
*Ductum omenti inventor* 148  
*Ductum salivalium inventor* 148.  
*Dysenterię causa, & curatio* 231.

## E

- E** *Lleboro utebatur Zeno. Pag.* 100.  
*Epidromes erant funiculi* 116.  
*Epigrammatis Italici inventor* 152.  
*Equlei inventor* 151.  
*Exorcismorum inventor* 148.



## F

- A** *Fabra Aloysius laudatus* Pag. 99.  
*Fabulæ Pastoralis inventor* 151.  
*Fantonus Jo: laude memoratus* 153.  
*Fasti Kalendares à quo inventi* 149.  
*Fauni fabulosi* 146.  
*Febris malignæ curatio* 241.  
*Februarius mensis undè dictus* 42.  
*Feralia inventa ab Enea* 152.  
*Ferrariensis Academia* 130.  
*Ferrarius Jo: Paulus laudatus* 248.  
*Fibula quid* 84. , *ejus significatio varia* 85. ,  
*tria genera* 85. , *Gymnastica* 86.  
*Fisiocriticorum Academia* 130.  
*Flamini jurare non licebat* 94.  
*Fumus Tabaci damnatus* 100.  
*Furca, & Furcarum varia genera* 112.  
*Furfurariorum Academia* 130.  
*Fustigatio pœna militum* 118.



## G

**G** *Aspari Hieronymus laudatus* Pag. 183.  
191.

*Gelatorum Academia* 130.

*Genius* undè dictus 75, *Natalis Deus*, &  
*Deus Naturę* ibi, *duo habebantur ibi*, &  
*Loci* 76.

*Glandularum uretrę inventor* 113.

*Gryphi fabulosi* 146.

*Gygantes monstra* 146.

## H

**H** *Annemanus Joann: Ludovicus laudatus*  
Pag. 113.

*Hannibal delusus ab Oraculo Serapidis* 33.

*Harmonię inventor* 148.

*Hęctica Febris*, & *ejus cura* 246.

*Herba Reginaę*, seu *Tabacus* 98.

*Hieroglyphica Egypt. inventa* 151.

*Homicida primus Cain* 152.

*Horę*



- Horæ quodnam tempus sint* 107. , *quot in die antiquitus* 108. , *Epigramma Martialis circa horas explicatum* 108. 109.
- Horologia quando , & à quo inventa* 110. , *Excitatoria , seu Svegliarini* 111. , *Solaria* 138.
- Hospitalarius primus* 153.
- Hydræ fabulosæ* 146.
- Hymnorum inventor* 149.
- Hypochondriaca Melancolia , ejus causa , & curatio* 190.

## I

- J** *Ambicorum inventor . Pag.* 149.
- Januarius mensis undè dictus* 41.
- Jejunium apud quos celebre* 15. , *diversorum specierum* 16.
- Jentare est cibum antè prandium sumere* 23.
- Iliacus dolor , & ejus curatio* 237.
- Inaurium inventor* 151.
- Incognitorum Academia* 130.
- Infæcundorum Academia* 130.
- Insanientes ob amorem* 20. 21.



*Intercallandi menses inventor* 152.

*Intrepidorum Academia* 130.

*Julius mensis undè* 45.

*Junius mensis undè* 44.

*Jupitèr barbatus* 3.

*Juramentum quid* 90. *calumniæ sublatum* 91.  
*eius variæ formulæ* 92. , *Christianorum* , &  
*Sacerdotum* 96. 97. , *per barbam* 4. 6. ,  
*per Genium Principis* 77.

## L

**L** *Ac in mammis Virorum. Pag.* 112.

*Lancisius Joannes Maria laudatus* 206.

*Lara Nympha* 77.

*Lares erant Dii domestici* 77.

*Lazuli lapidis primus præparator* 148.

*Ledelius Samuel laudatus* 159.

*Lentulæ palustris seminis Inventor* 147.

*Leonardus Pistoriensis semper jejunabat* 18.

*Libationes a quo inventæ* 150.

*Lictores differunt a carnifice* 89.

*Lienis obstructionis curatio* 224.

*Locustæ quænam* 104. , *An essent veræ Lo-*  
*custæ*



*custæ illæ, quas commedebat D. Jo: Baptista 105., an verò herbæ 106.*

*Lorum, seu Corrigia 115.*

*Lucernæ ad fenestras 81., ob adventum Principis 83., & alia de causa festiva 83.*

*Lucimetrum a quo inventum 150.*

## M

**M** *Affæus Scipio laudatus. Pag. 72. 73.*

*Majus mensis undè dictus 43.*

*Mancia di Natale 81.*

*Mangettus Jo: Jacobus laudatus 102. 135.*

*Mania ejus causa, & curatio 208.*

*Martellus Petrus Jacobus laudatus 73.*

*Martis nivis inventor 150.*

*Martius mensis undè 43.*

*Medicarum institutionum nova idea 153.*

*Melancholia hypochondriaca, & ejus curatio 190.*

*Mensæ cedrinæ 61.*

*Menses Anni undè dicti 41.*

*Menses intercalandi inventio 152.*

*Mercurialis unctiōis inventor 149.*

*Merenda quid sit, & damnata 23., ab ali-*



- quibus pro prandio sumitur* 24.  
*Meropes Tragædia Marcb. Maffei* 72.  
*Messanensis Academia* 130.  
*Militares pœnæ* 116.  
*Militaris disciplinæ inventor* 153.  
*Minarum bellicarum inuentor* 151.  
*Misticbellus Dominicus laudatus* 165.  
*Molæ aquariæ inventor* 150.  
*Monstra . Vide Portenta .*  
*Morgagnus Jo: Baptista laudatus* 153.  
*Mors scelesti hominis intus accidat in Trage-*  
*dijs* 67. (69.  
*Muratorius Ludovicus Antonius laudatus* 64.  
*Muscipulæ Inventor* 149.

## N

- N** *Avigandi idustria quando inventa* Pag.  
 143.  
*Nausea* 213.  
*Neapolitana Academia* 130.  
*Nestea celebritas* 16.  
*Nevolus Rabula forensis celeberr.* 26.  
*Niger differt ab atro* 52.

Ni.



*Nigra dies quænam* 58.

*Nigrifolus Franciscus Maria cum laude nuncupatus* 147. 150. 215.

*Notæ musicales à quo inventæ* 150.

*November Mensis unde dictus* 47.

*Nudipedalia festa antiq.* 121.

*Numa Pompil. Vota faciens jejunabat* 16.

*Numella vinculum* 114.

*Numismata sacra a quo inventa* 151.

## O

**O** *Belyscorum inventor Pag.* 153.

*Obstructio lienis* 224.

*Octavæ Rimæ inventa* 149.

*October mensis unde dictus* 47.

*Ocularia a quibus, & quando inventa* 12. 153.

*Odores. Vide Rosa.*

*Orationum judicialiū italicarum inventor* 152.

*Orbis novus à quo inventus* 149.

*Organorum musicalium inventor* 152.

*Otho jurabat per barbam suam* 4.

*Ovorum in mulieribus inventor* 147.



## P

- P** *Acchionus Antonius laudatus* Pag. 150.  
*Palpitatio cordis , & ejus cura* 204.  
*Panagron Rete Piscatorium* 114.  
*Paralysis , & ejus curatio* 166.  
*Parentalium inventor* 152.  
*Pascolus Alexander laudatus* 203.  
*Passar per le Bacchette , pena militare* 118.  
*Patarolus Laurentius laudatus* 108.  
*Patavina Academia* 129.  
*Paulinus Christian. Franciscus laudatus* 113.  
*Pellicanus fabulosus* 146.  
*Penduli horologii inventor* 152.  
*Pericardii Ros cujus inventio sit* 153.  
*Perusina Academia* 130.  
*D. Petri Barba servatur in Gallia* 6.  
*Phoenix fabulosa* 146.  
*Pisana Academia* 129.  
*Pleuritidis causa , & curatio* 199.  
*Pocula diversa* 49. , *Fictilia , Electrina , aurea ,*  
*& pretiosa* 50. , *Murina , Vitrea , ex Cra-*  
*nio humano* 51.

Pœne



- Pœnæ militares variæ* 116.  
*Porca præcidanea* 40.  
*Porcus . Vide Sues.*  
*Portenta quid sint* 145.  
*Presbyterorum juramenta* 97.  
*Proterviam facere* 88.  
*Pudicitia , & ejus dotes* 131.  
*Pueri non coguntur jurare* 97.  
*Pulvis Cyprius* 8.  
*Pumiliones monstra* 146.  
*Purpuræ inventio* 152.

## Q

Q *uintilis mensis idem , ac Julius . Pag. 45.*

## R

R *Abulæ forenses Pag. 24.*  
*Ramazzinus Bernardinus laudatus* 158.  
*Recuperatorum Academia* 130.  
*Reticula erant vincula* 114.  
*Rhytmorum Italicorum inventor* 149.

R 4

Ro.



*Romana Academia* 130.

*Romani antiqui fuere sobrii* 29.

*Rosa*, & de illa quamplura 153., & seqq.

*Rotarius Sebastianus laudatus* 90.

## S

**S** *Accari lactis inventio* Pag. 150.

*Saccari conficiendi inventor* 147. 148.

*Saccus Pompejus laudatus* 222.

*Sacrificia nunquam sine sale* 124.

*Sal apud veteres in usu* 123., in omnibus sacrificiis 124., ejus omina 125., sterilitatis symbolum 126., ideò effusus ad Urbes extirpandas ibi.

*Salernitana Academia* 130.

*Salinum vas sacrum* 124., ejus omina 125.

*Salvinus Antonius Maria laudatus* 100. 155. 156.

*Sanguinis sputum*, & ejus curatio 195.

*Satyri fabulosi* 146.

*Senensis Academia* 130.

*September mensis unde* 46.

*Serapis Deus Ægyptius Apis* 32., est Sol, &  
pro



- pro Josepho colebatur* 34.  
*Sextans poculi genus* 49.  
*Sextilis mensis Augustus* 46.  
*Silentio Rosa dicata* 154. 155.  
*Silvestrius Co: Camillus laudatus* 35. 78.  
*Simbeni Jo: laudatus* 245.  
*Singultus , & ejus curatio* 220.  
*Sirenes fabulosæ* 146.  
*Sobrietas ad vitam conservandam facit* 28.  
*Sol est Serapis* 32.  
*Spheræ inventio* 153.  
*Sputum Sanguinis , & curatio* 195.  
*Stemmata a quo inventa* 149.  
*Stercorandi agros inventor* 152.  
*Stolfinus Antonius laudatus* 244.  
*Strenæ erant munera* 79. 80.  
*Strenæ Poeticæ* 81.  
*Sub rosa quid significat* 154 155.  
*Svegliarino . Vide Horologia.*  
*Sues in Judea non nascuntur* 36. , non nisi  
mortui prosunt ibi , non comedebantur 37. ,  
in Arabia non viuunt 38. , Veneri macta-  
bantur 39.  
*Syderum cognitio inventa* 152.  
*Sylvani fabulosi* 146.



## T

**T** *Abaci inventio , & nomina . Pag. 98. ;  
& seqq.*

*Temperantia ad vitæ conservationem  
facit 28.*

*Teraneus Laurentius laudatus 153.*

*Terenzonus Jo: Antonius laudatus 194.*

*Tertia Rima à quo inventa 149.*

*Tetrametri inventor 153.*

*Tbeatri inventor 149.*

*Ticinensis Academia 129.*

*Tintinabuli sacri inventor 151.*

*Togæ inventor 151.*

*Tondendi ritus varii 119.*

*Torneamenta à quo inventa 151.*

*Torti Franciscus laudatus 235.*

*Tozzi Lucas laudatus 211. 217. 221. 228.*

*Tragædia quid 64. debet impleri ærumnis 65:  
quænam sit vitanda 66., quomodo apta ad  
movendam pietatem 68., non debet esse sim-  
plex , sed implexa 70. , an melior sit læti,  
vel mæsti finis 70. 71. , ejus partes 72., an  
me-*



*metro ligata vel soluta oratione 75.*

*Triens poculi genus 49*

*Trinitatis mysterium a Serapide assertum 35.*

*Tritones fabulosi 146.*

*Tubarum sonitus terminus convivii 60.*

*Turcæ non habent Academias 128.*

*A Turre Philippus Episc. Adrien. cum laude  
nuncupatus 33. 75.*

*Tussis ejus causa, & curatio 180.*

*Typographia a quo inventa 150.*

## V

**V** *Vallisnerius Antonius laude cumulatus .  
Pag. 140. 147. 150.*

*Valsalva Antonius Maria laudatus 147*

*Valvularum in Vasis lymph. inventor 149.*

*Vasa lymphatica per cerebrum producta inven-  
ta 150.*

*Venas secandi inventor 152.*

*Ventilabrum ad abigendas muscas 144.*

*Verbena herba quot dotes habeat 134.*

*Vermium systemma novum 150.*

*Vertigo, & ejus curatio 170.*

*Ve-*



*Vestalium institutor* 152.

*Vincula antiquorum* 114.

*Vita hominis in quinque ætates partitur* 74.

*Ultramarini coloris præparator* 148.

*Vomitus curatio* 213.

*Uretræ glandularum inventor* 153.

*Vulpinus Jo. Baptista laudatus* 234.

## X

**X** *Enarcus Rhodius quare dictus Metretes.*  
Pag. 31.

*Xenia pro strenis sumpta* 80.

*Xerxes amore Platani captus* 18.

## Z

**Z** *Anniccbellus Jo. Hieronymus laudatus.*  
Pag. 150. 193. 226. 244.

*Zeni D. Petr. Cat. laudatus* 127.

*Zeno elleboro utebatur per nares* 100.

*Zenus Apostolus commendatus* 41.

*Zifferarum inventor* 151.

*Zonæ sonoræ a quo inventæ* 147.



*Errata.*

*Corrige.*

Pag.	3	l.	8	Præfat: <i>deliberare</i>	<i>delibare</i>
Pag.	6	l.	21	impulerunt	impulisse
	69		6	illud	illum
	20		8	<i>levadii</i>	<i>leucadii</i>
	34		25	Platone	Plutone
	191		14	fenfum	fenfuum
	228		7	comendo	comedendo



